



OJ
INTER FOLIA FRVCTVS

JAHRESBERICHT

ÜBER DAS

KURFÜRSTLICHE GYMNASIUM

ZU HERSFELD,

WOMIT

ZU DEN AM 30. UND 31. MÄRZ UND AM 1. APRIL ZU HALTENDEN

ÖFFENTLICHEN PRÜFUNGEN UND SCHULFEIERLICHKEITEN

DIE ELTERN DER SCHUELER UND ALLE FREUNDE DES SCHULWESENS

ERGEBENST EINLADET

DER DIRECTOR DES GYMNASIUMS

Dr. WILHELM MÜNSCHER.

VORAN GEHT:

Commentationis de ἀσεβείας γραφῇ sive de impietatis actione tum aliis viris claris tum maxime philosophis ab Atheniensibus intenta Particula I.

SCRIPSIT

Dr. HENRICUS WISKEMANNUS,

GYMNASII PRAECEPTOR ORDINARIUS.

HERSFELD,

DRUCK UND PAPIER VON FLORENTIN SCHUSTER.

1846.

quae sane innumerae erant, parum curiosi essent [1]) qui sacris denique operarentur templaque intrarent, si id facere propter scelus aliquod nefas esset, [2]) verum etiam qui templa compilarent [3]) aras destruerent, deorum signa mutilarent, [4]) sepulcra violarent, animalia diis sacra interficerent [5]), oleas [6]) aliasque arbores sacras [7]) effoderent. Nec minus impium ducebatur, pejerare, jus hospitale violare, homicidium facere, eo, qui piaculum contraxisset, familiariter uti, supplicem ab asylo protrahere, artes magicas factitare [8]), et tantum abfuit, ut *ἀσεβείας* criminatio in iis delictis, quae modo commemoravi, substiterit, ut liberi in parentes improbi, juventutis [9]) corruptores, rerum novarum studiosi, ii, qui mores pessumdarent, qui majorum instituta abolerent, qui dictis denique factisve patriae commodis officere ejusque legibus adversari viderentur, impietatis sint insimulati [10]). Quae impietatis crimina quum inter se diversissima essent, fieri non poterat, quin pro

---

[1]) Hoc nomine ipsi summo Eleusiniorum antistiti Archiae poenam irrogatam esse, legimus apud Demost. c. Neaer. 1384 et 1385.

[2]) Hoc Andocidi crimini datum est. Omnino vero Thesmophoriis viri Cereris templo arcebantur.

[3]) Cf. Lys. *ὑπὲρ Καλλίου ἱεροσυλίας.*

[4]) De Andocide Aristippum propter Mercurii signum violatum accusante cf. Lys. *Κατ' Ἀνδοκίδου ἀσεβείας* p. 11.

[5]) Ael. V. H. V, 17.

[6]) Lys. *ὑπὲρ τοῦ σηκοῦ.* Cf. Meier. et Schoem. l. l. p. 302. n. 18.

[7]) Lycurg. c. Leocrat. p. 239.

[8]) Sic Theoris quaedam, *μάντις* vel *ἱερεία*, de qua Harpocration et Suidas consulendi, quia artem magicam coleret, ad supplicium data est.

[9]) Propter impudicos mores Phryne, nam de Aspasia infra iterum mentio injicienda est, in judicium ducta videtur, etsi Meier. p. 304. n. 33. suspicatur, id propterea factum esse, quod certe Phryne templa ingressa sit inque mysteriorum venerit societatem.

[10]) Inde explicationem suam habeat Aristotelis verba a Meiero p. 301. a. 14 laudata: *ἀσέβεια μὲν ἡ περὶ θεοὺς πλημμέλεια καὶ περὶ δαίμονας, ἢ καὶ περὶ τοὺς κατοιχομένους, καὶ περὶ γονεῖς, καὶ περὶ πατρίδα.* Quum impietatis crimen tam late pateret, accidit, quod Wachsmuth l. l. 179 monuit: „Frevel gegen das Götterthum des Staats (*ἀσέβεια*), ein freilich schon im Alterthum eben so weitschichtiger und nach Anmaßung der Priesterschaft und nach Sycophantismus politischer oder persönlicher Feinde eben so leicht zu Anklagen auf den Tod gemißbrauchter Gegenstand, als im französischen Sacrilegsgesetze, oder in den Ketzergerichten des Mittelalters oder der spanischen Inquisition." Sed haec demum in ea tempora cadunt, quibus vetus disciplina labi et pro antiquis moribus omnium vitiorum teterrima foeditas in civitatem invehi coepta est.

sceleris magnitudine culpaeque ratione et diversae poenae vel lege definitae essent vel a magistratibus caperentur. Qui in manifesto facinore deprehenderentur, ii missis ambagibus per ἀπαγωγὴν vel pro re nata per ἔνδειξιν et ἐφήγησιν[1]) quum ad alios magistratus tum praecipue ad undecim viros ducebantur, ut, si res in confesso esset, de facinorosis illis statim supplicium sumeretur[2]), sin autem de facto nondum satis constaret, legitimi judices in auxilium vocarentur. Aliquando etiam per προβολὴν[3]) res agebatur, ut, quemadmodum juris consulti loquuntur, populi praejudicium fieret, utrum qui crimine compellatus esset, solvendus an judicio ultra persequendus videretur. Gravissima tamen impietatis crimina, quorum exempla hoc libello pluribus describere in animo est, quippe quae vel maxime Atheniensium prodant declarentque de diis rebusque divinis opiniones, ipsorum in republica administranda consilia rationesque, antiquorum ac posteriorum temporum conflictiones, prioris aetatis pueriles superstitiones, insequentis nimiam libertatem, vetustatis denique et novarum rerum primum diversitatem ac repugnantiam, tum literarum et meliorum cognitionum de obsoletis illis et ineptis opinionibus partam victoriam, — gravissima, inquam, impietatis crimina, deorum popularium dico contemtum, mysteriorum proditionem, juventutis corruptionem, ἀσεβείας γραφῇ, rarius εἰσαγγελίᾳ[4]) persequebantur Athenienses. Quae ἀσεβείας γραφὴ in causis publicis et τιμητοῖς[5]) quidem habebatur tamque gravis erat, ut interdum multa, saepius exilium bonorumque publicatio, quin adeo ipsa mors eam consequeretur. Sed quantae poenae his criminibus, quae omnium omnino scelerum gravissima ducebantur et revera erant, nisi Atheniensium animi de diis rebusque divinis tantopere coecutirent, propositae fuerint, neminem praeterit. Contra multum dubitarunt viri docti, ad quod tribunal haec ipsa impietatis actio competierit, quia fere nunquam ea res disertis verbis memo-

1) Cf. Platner. l. l. 251 sqq.

2) Multos impios indicta causa interfectos esse, ex his Lys. c. Andoc. verbis 257 conjicias: — συνεβούλευσε βουλευομένοις ὑμῖν ὅτι δεῖ χρῆσθαι Μεγαρεῖ ἀνδρὶ ἀσεβηκότι, κελευόντων γὰρ ἑτέρων ἄκριτον παραχρῆμα ἀποκτεῖναι κ. τ. λ.

3) Platn. 1, 379.

4) De hoc causarum publicarum genere gravissimo, quo utebantur Athenienses in rebus ad rempublicam pertinentibus, ubi leges non sufficiebant, nec non ad magistratus, id quod infra videbimus, reos citandos cf. Baehr. ad. Plut. Alc. p. 182.

5) Cf. Stallbaum, ad Plat. Apol. p. 35 E. Si actor quintam partem votorum non tulisset, infamia κατὰ προστάξεις notabatur et mille drachmas praeterea solvebat.

ratur [1]). Verum tamen consentaneum est, priusquam Pericles Ephialtae opera usus Areopagi auctoritatem imminuerit, Areopagitas de impiorum causis judicasse, ut quibus praeter morum praefecturam, vitae et publicae et privatae curam, tutelam ac custodiam legum et vetustatis institutorum, a Solone id inprimis mandatum esset negotii, ut sacra tuerentur deosque urbis tutelares ab omni injuria defensitarent. Postmodo, saltem de iis impietatis actionibus, quae ad rempublicam pertinere putarentur, Heliastas judices sedisse scimus. Sed praeter hos magistratus interdum senatus quoque de impiorum facinoribus cognovit, quin adeo si populo de mutanda forma reipublicae vel de majorum institutis ac legibus abolendis suspicio injecta esset, ipse populus aut certe judicum consessus a populo constitutus, quum delicta quidem levioris notae et quae tantummodo ad res sacras spectarent, ut par erat, ad sacerdotes deferrentur, quorum Eumolpidae [2]) et Ceryces constat quanto et ceteroquin et in impiorum causis dijudicandis reliquis sacerdotiis praestiterint [3]). Qua in re tamen id tenendum, ἀσεβείας γραφὴν ut plurimum apud archontem regem [4]), qui ordine secundus erat, quique omnino mysteriorum et sacrorum curam gerebat, institutam ab eoque nisi ipse rem decerneret, ad justa judicia ablegatam esse. — Haecce fere sunt, quae, priusquam ad rem ipsam aggrederer, de disputationis argumento praemonenda habui. Quibus praemissis jam quaeritur, quae et quales fuerint illae impietatis causae, quibus Atheniensium et ingenium et res gestas penitius cognosci paulo superius affirmavi. Prima, quod equidem sciam, impietatis actio Aeschylo, nobilissimo illi tragoediarum scriptori, a civibus suis impacta est [5]), quamquam haec causa a consequentis temporis id genus actionibus mirum quantum distat. Aeschylus enim, id quod inter omnes, qui vel primoribus labris monumenta graeca attigerunt, constat, deos summa veneratione et ipse prosequebatur et spectatoribus prosequendos in scenam pro-

---

1) Data opera de hac re exposuit Bugainvillius in Mem. de l'Acad. des Insc. T. XVIII, p. 79 sqq. Cf. etiam Boettiger. Aristophanes impunitus deorum gentilium irrisor p. 69 n. ed. Sillig.

2) Eorum maxime erat δικάζειν τὰ περὶ ἀσεβείας. Creuzer. Symb. IV, 344.

3) De sacerdotum Graecorum auctoritate cf. Bugainvill. l. l.

4) Demosthenes c. Androt. 601 persequendi modos et magistratus de ἀσεβείᾳ cognoscentes in unum confundit, quum contra impios memorat hasce formulas: ἀπάγειν, γράφεσθαι, φράζειν πρὸς Εὐμολπίδας, φράζειν πρὸς τὸν βασιλέα. De regis potestate ac tribunali cf. Meier. p. 47; Hermann. antqq. §. 138.

5) Si Lysippi ἀσεβῶν κατάλογος aetatem tulisset, pauciora sine dubio essent, quae hac in re nos aut fugerent aut offenderent.

ducebat. Quocirca poeta nobilissimus mente quidem impius minime fuit, etsi, quum jam saepius parum caute in fabulis Cereris tractandis versatus esset [1]), Atheniensium populo talis vel maxime visus est. Nec fugit nos, quid fuerit, quod spectatores aliquando in tantam iram exarserint, ut, nisi poeta in ipsa scena ad Dionysi aram confugisset Areopagitaeque auctoritatem suam interposuissent, ille lapidibus esset obrutus. Appellaverat enim Aeschylus Dianam Cereris filiam, quae doctrina ad mysteria spectare videbatur. Sive poeta hanc fabulae rationem, a vulgaribus opinionibus alienissimam, ex Pythagorae disciplina, quam amplexatus erat, desumpsit, unde fortasse ejus excusatio profecta est, se nescivisse, illas res tacendas fuisse, sive secutus est in hisce *ἱερὸν λόγον* quendam [2]), sive denique ex ipsis Eleusiniis, id quod Athenienses sibi persuadebant, hausit, certe Aeschyli verba cum sacris Eleusiniis, qualia tum erant, concinuerint necesse est. Ab initio quidem ipsa Eleusinia hanc doctrinam prorsus ignoraverunt, quae sacra adeo procedente tempore quantopere mutata sint, ex hac ipsa narratione luculenter apparet. Antiquitus enim Proserpina Cereris filia fuerat, cujus cum Diana confusio haud dubie Orphicis tribuenda est, quippe qui primum clam initia sua tradiderint, sed sensim id effecisse videantur, ut ipsa mysteria eam rationem reciperent, quae cum diis Eleusiniis, Cerere, Proserpina, Jaccho, deos Thracum ac Phrygiorum, Rheam, Hecaten, Dionysium Zagreum aut conjungeret aut prorsus permutaret. Ex quo factum est, ut quemadmodum Ceres cum Rhea, sic Proserpina cum Hecate adeoque cum Diana in unum confunderetur [3]). Jure

---

[1]) Aspasius, ut Paulus Manutius vel, ut alii volunt, Eustrathius ad Aristot. Eth. Nic. III, 1 ita rem designavit: *δοκεῖ γὰρ λέγειν Αἰσχύλος μυστικά τινα ἔν τε ταῖς Τοξότισι καὶ Ἱερείαις καὶ ἐν Σισύφῳ Πετροκυλιστῇ καὶ ἐν Ἰφιγενείᾳ καὶ ἐν Οἰδίποδι. ἐν γὰρ τούτοις πᾶσιν περὶ Δήμητρος λέγων τῶν μυστικωτέρων περιεργότερον ἅπτεσθαι ἔοικε. λέγει δὲ καὶ περὶ Αἰσχύλου καὶ Ἡρακλείδης Ποντικὸς ἐν τῷ πρώτῳ περὶ Ὁμήρου, ὡς κινδυνεύοντος ἐπὶ τῷ τῶν μυστικῶν περιφέρειν τινὰ δοκεῖν, εἰ μὴ προαισθόμενος κατέφυγεν ἐπὶ τὸν τοῦ Διονύσου βωμὸν καὶ Ἀρεοπαγιτῶν αὐτὸν παραιτησαμένων ὡς ὀφείλοντα κριθῆναι, πρῶτον ἐδόκει ὑπαχθῆναι εἰς δικαστήριον καὶ ἀποφυγεῖν, αὐτῶν τῶν δικαστῶν ἀφέντων μάλιστα διὰ τὰ πραχθέντα αὐτῷ ἐν τῇ ἐπὶ Μαραθῶν, μάχῃ κ. τ. λ.*

[2]) Herodotus quidem II, 156 in Aeschyli dicto doctrinae Aegyptiacae vestigia latere asserit, ait enim: *ἐκ τούτου δὲ τοῦ λόγου καὶ οὐδενὸς ἄλλου, Αἰσχύλος ὁ Εὐφορίωνος ἥρπασε τὸ ἐγὼ φράσω, μοῦνος δὴ ποιητέων τῶν προγενομένων. ἐποίησε γὰρ Ἄρτεμιν εἶναι θυγατέρα Δήμητρος.* Cf. Pausan. VIII, 37 §. 3. Macrob. Saturn. I, 18.

[3]) Cf. Pauly. Real-Encyclop. T. III. p. 92.

suo idcirco Athenienses de Eleusiniis enarratis Aeschylo periculum facessere sibi visi sunt, qui in jus vocatus, gravissimis sine dubio affectus esset poenis, nisi vel fratris vel sua de patria merita Areopagitis in memoriam revocasset [1]) vel denique, id quod omnium verisimillimum est, se Eleusiniis initiatum esse negasset. Nam quo alio sensu Aristotelis verba dicta esse possunt, quae l. l. ita leguntur: ἢ οὐκ εἰδέναι, ὅτι ἀπόῤῥητα ἦν, ὥσπερ Αἰσχύλος τὰ μυστικά, quum Aeschylus mysteriorum arcanam doctrinam silendam esse haud ignoraret. Accedit Clementis Alex. [2]) testimonium, sententiam a me propositam hunc in modum comprobans: μυστήρια ἐπὶ σκηνῆς ἐξειπὼν (sc. Aeschylus) ἐν Ἀρείῳ πάγῳ κριθεὶς, οὕτως ἀφείθη, ἐπιδείξας αὐτὸν μὴ μεμυημένον. Quae si tenemus, Aeschylum probabile est Pythagorae doctrinam in tragoediis suis imitatum esse [3]), qui philosophus rerum cognoscendarum causa Aegyptum visit, cum Orphicis commercium coluit, qui mysteriis initiatus et oraculorum denique fautor et paene dixerim administer fuit, ut poeta noster, quamvis sacra Eleusinia, ut affirmabat apud judices, ignoraret, tamen eandem fabularum rationem et nosse et exprimere posset. Quae si recte disputata sunt, consequens est, jam tum patrum religionem admodum mutatam fuisse, apparetque, quantum ipse Aeschylus, in quo ceteroquin tantopere viget antiquorum temporum honor, ejusque aequales ab antiquis illis per sanctasque ceremonias multorum seculorum spatio adoratis diis defecerint. Atvero simul, et hoc longe gravissimum duco, ex Aeschyli causa intelligitur, quanti Athenienses res divinas fecerint, quamque parati fuerint, et mysteria sua et omnino deos patrios

---

1) Ita narrant Aspasius l. l. et Aelianus V. H. V, 19: Αἰσχύλος ὁ τραγῳδὸς ἐκρίνετο ἀσεβείας ἐπί τινι δράματι. Ἑτοίμων ὄντων Ἀθηναίων βάλλειν λίθοις, Ἀμυνίας ὁ νεώτερος ἀδελφὸς ἀποκαλυψάμενος τὸ ἱμάτιον ἔδειξε τὸν πῆχυν ἔρημον τῆς χειρὸς κ. τ. λ.

2) Strom. II. p. 387. A.

3) Ex eodem fonte eandem doctrinam sine dubio hausit Pindarus, quam posthac etiam Euripides, Callimachus, Porphyrius, Proclus amplexi sunt. Cf. Creuzer. Symb. IV, 517. Sed eam ipsam ob rem, quia Aeschylus cum summo periculo suo id ausus dicatur, quod non ita multo post Sophocles, Euripides, Stoici sine cujusquam offensione fecerint, Lobeckius Aglaoph. p. 76 sqq. sibi persuadet, Aeschylum non tam propter evulgatum Eleusiniae doctrinae mysterium, quam quod actum quendam solennem in scena assimulaverit, et e. g. in carmine propemptico, Areopagitarum vestitu et ornatu (Athen. 1. 21. E.), in modis musicis Eleusinia aliquatenus expresserit, in crimen esse vocatum. Vix crediderim. Sed quum infra pluribus exponendum sit, quam subita fuerit illa aetate omnium et sensorum et cogitatorum mutatio, hoc loco non est, quod viri docti argumentum impugnem.

ab omni injuria defendere tutarique. Quod studium Atheniensium quum tam acre fuerit, nil demirandum est, si prae deorum cultu et veneratione ipsos litterarum artiumque progressus nauci pendere et viros eruditissimos de cultuque ingeniorum optime promeritos vel e civitate sua exturbare vel poenis gravissimis afficere quam laudibus ac praemiis ornare maluerunt, siquidem viri illi id agere viderentur, ut aliquid de deorum sanctitate studiis et artibus suis detraherent. Quam ob rem tum quidem Aeschylus integer ex judicio abiit, quod postea vero in causa fuerit, ut sub vitae exitum in Siciliam peregrinaretur, Sophoclisne victoria, quam Aeschylum aegerrime tulisse haud improbabile est, an metus talium criminationum, quales semel in ipsum conjectae erant, an denique imperii popularis in dies augescens licentia et impunitas, quam Welkerus [1]) amplexus est sententiam, id minime constat. Certe in patriam non reversus est, sed in Sicilia diem obiit supremum. [2]) Verum enim vero qualiscunque Aeschylo patriam reprobandi ac sponte exulandi fuerit causa, tamen tum maxime Athenae florere coeperunt tempusque consequutum est ab omni laude felicissimum. Inprimis, ut rem meam agam, nam uberiori expositioni, qualis post bella Persica universus status reipublicae Atheniensium fuerit, hoc loco immorari non licet, undique poetae, historici, philosophi, sophistae, omnis generis artifices, Athenas confluxerunt. Quorum reliquos quidem silentio praetermitto, at philosophorum certe Parmenides et Zeno [3]), celeberrimi illi Eleatae, mihi hic commemorandi sunt, quippe qui circa a. 455 Athenas transvecti sint ibique docuerint sapientiam suam. Item Empedocles, clarissimus ille Pythagoreus, quem, ut Zeno logices contentiosique generis dicendi auctor fuit, sic ipsum rhetorices inventorem fuisse perhibent, nec non Anaximander sub illud tempus Athenis philosophiam suam professi sunt. [4]) Et ante hos viros in philosophia nobilissimos Anaxagoras, physicorum celeberrimus, quem a. 500 natum statuunt, Athenis sedem suam fixit, id quod, teste Diogene [5]), jam anno 480 factum esse

1) Trilog. Aeschyl. p. 521 sqq.

2) a. 456 a. Ch. Cf. Plut. de exil. XIII; Aspas. ad Arist. l. l.

3) Diog. L. IX, 23; Plut. v. Per. c. 4. Apud Plat. Alc. 1. p. 119 Zenonis discipuli Callias et Pythodorus fuisse feruntur. Cf. Parm. p. 126. b. Ab utroque eorum Zeno magnis pro institutione praemiis mactatus est, sicuti Herodotus quoque historicus, qui et ceteroquin sophistae speciem prae se ferebat, Stesimbrotus Thasius, Anaximander Milesius illis temporibus et admodum honorati et liberaliter donati sunt ab Atheniensibus. Cf. Welker. in Mus. Rhen. T. 1. p. 32.

4) Cf. Müller. Euripides deorum popularium contemtor p. 6.

5) II, 7: ἤϱξατο δὲ φιλοσοφεῖν Ἀϑήνησιν ἐπὶ Καλλίου, ἐτῶν εἴκοσιν ὤν, ὥς φησι Δημή-

volunt. Ex quo tempore triginta annos ille Athenis commoratus est multosque nobilissimorum civium in philosophia instituit, inter quos Socratem, Periclem, Euripidem, Thucydidem historicum [1]). Jure adeo, etiamsi Diogenes [2]) narret, Archelaum primum philosophiam Athenas traduxisse, Anaxagoras potius hac laude impertiendus est. Qui postquam ad a. 450 Athenis versatus est, vel patriam revisisse [3]) vel alias urbes obiisse putandus est, nisi prorsus alia, ut monui, facienda est temporum notatio. Interea autem in Atheniensium urbe homines sapientiam studiosissime expetere minime destiterunt, imo vero Archelaus, Empedocles, Protagoras, alii tum maxime floruerunt animosque Atheniensium cognoscendarum rerum studio inflammarunt ardentissimo. Sed etsi sine ulla suspicione ab initio illis studiis sese dediderunt Athenienses, quippe cui ex animi sententia et solo discendi ardore incensi operam navarent, tamen non ita multo post senserunt, illa philosophorum placita a majorum institutis ac moribus longe abhorrere et latius serpendo id effectura esse, ut leges auctoritate sua destituerentur et civitas universa sensim alias indueret formas [4]). Quam ob causam Anaxagoram, sive ille tum iterum Athenas venit, sive prorsus illinc non abiit, tanquam auctorem sapientiae illius perversae impietatis reum citarunt a. 432. [5]) Quin adeo bis accusatum esse philosophum gravissimum, olim Aug. Carus

τριος ὁ Φαληρεὺς ἐν τῇ τῶν Ἀρχόντων ἀναγραφῇ. At vero a. 480 non Callias, sed Calliades archon fuit, Callias autem demum a. 456 hoc munere functus est, quam ob rem Anaxagoras viginti quatuor annis post quam vulgo credunt Athenas devenisse videtur.

1) De aliis Anaxagorae discipulis cf. Ritter. hist. ph. T. I. p. 289. cf. Athen. p. 220, b.

2) II, 16.

3) Val. Max. VIII, 7: qui quum e diuturna peregrinatione patriam repetiisset etc.

4) Rem paucis Roetscherus, Aristophanes und sein Zeitalter complectitur, p. 239 ita dicens: Schon mit dem Auftreten des Anaxagoras, durch den Athen zum Mittelpunct der Philosophie wird, beginnt der Gegensatz gegen die objective Welt des Staats und gegen das alte Bewußtsein überhaupt.

5) Diog. II, 12: Σωτίων μὲν γάρ φησιν ἐν τῇ διαδοχῇ τῶν φιλοσόφων ὑπὸ Κλέωνος αὐτὸν ἀσεβείας κριθῆναι, διότι τὸν ἥλιον μύδρον ἔλεγε διάπυρον· ἀπολογησαμένου δὲ ὑπὲρ αὐτοῦ Περικλέους τοῦ μαθητοῦ, πέντε ταλάντοις ζημιωθῆναι καὶ φυγαδευθῆναι. Σάτυρος δ᾽ ἐν τοῖς βίοις ὑπὸ Θουκυδίδου φησὶν εἰσαχθῆναι τὴν δίκην, ἀντιπολιτευομένου τῷ Περικλεῖ. καὶ οὐ μόνον ἀσεβείας, ἀλλὰ καὶ μηδισμοῦ καὶ ἀπόντα καταδικασθῆναι. Thucydidis quidem illius rationem ita Roetscher. l. l. p. 98 edisserit: Offenbar gehörte dieser Thucydides dem alten Principe an, in dessen Dienste er sich dem Pericles widersetzte, aber ohnmächtig an der weitgreifenden Macht desselben zerschellte.

statuit, innixus eo, quem modo adduxi, loco.[1]) Et profecto Veterum de hac re testimonia inter sese tam dissona sunt, ut vix conciliari possint.[2]) Sed quantacunque est scriptorum discrepantia, de re ipsa minime potest dubitari. Anaxagoras de ἀσεβείᾳ postulatus est, quod crimen Pericles apud judices, Heliastas puto, usque adeo certe diluit, ut philosophus non statim ad supplicium daretur, sed saltem aufugiendi nancisceretur opportunitatem. Posteriores quidem rerum narratores de Anaxagorae accusatione in duas partes abeunt, quippe qui aut injuste illum impietatis insimulatum esse affirment, ut Diodorus, his verbis illam causam commemorans [3]): ἐπ' ἄρχοντος Εὐθυδήμου Ἀναξαγόραν τὸν σοφιστὴν — ὡς ἀσεβοῦντα εἰς τοὺς θεοὺς ἐσυκοφάντουν, aut philosophum illum ut atheum [4]) notaverint itaque circuitione quadam illud judicium probare videantur. Quod cognomen etsi inique inventum est, quum Anaxagoras primus Νοῦν illum excogitaverit et introduxerit in philosophiam, tamen facile est ad intelligendum, quantopere talis sapientia, qualem Anaxagoras et scriptis [5]) et ore discipulis impertiebat, Athenienses adverterit. Habebat ille solem pro lapide ignito, lunam pro terra [6]), revocabat signa et auguria ad causas naturales [7]), subjiciebat fabulis Homericis sensum, quem dicunt, allego-

---

1) Cf. Ersch. et Gruber. Encyclop. v. Anaxag.

2) Non tantum diversi actores, ut modo vidimus, memorantur, sed etiam de ipso judicio maxime inter se discrepant scriptores. Dum Plut. v. Per. c. 32 simpliciter dicit: Ἀναξαγόραν δὲ φοβηθεὶς ἐξέπεμψε καὶ προὔπεμψεν ἐκ τῆς πόλεως, quae verba sic dicta videri possint, ut Pericles, quoniam Anaxagorae timeret, ipsam ante judicium ex urbe eduxerit, contra aliis locis de custodia mentionem injectam videmus, ut Plut. vit. Nic. 23: καὶ Ἀναξαγόραν εἱρχθέντα μόλις ἐποιήσατο Περικλῆς; de prof. virt. p. 84: μήτε εἱργμὸν Ἀναξαγόρου; Cf. de exil. p. 607; Diog. II, 13: κατειρχθη ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ τεθνηξόμενος; Suid.: ἐξήγαγε δὲ τοῦ ζῆν, — διότι ὑπ' Ἀθηναίων ἐνεβλήθη ἐν δεσμωτηρίῳ. Qua in re id diserte non traditum est memoriae, num Anaxagoras, jam tum aetate decrepita et aegritudine confectus, ut Hieronymus apud Diog. II, 14 asserit, in carcerem detrusus sit, ne judicium effugeret, an, causa judicata, ne poenae se subtraheret, quam quinque talentorum fuisse Sotion narrat, an vincula illa fuerint denique προστίμημα quoddam. Cf. Meier. in Ersch. et Grub. v. Diagoras p. 447.

3) XII, 39.

4) Hoc cognomen viro gravissimo, etsi injuria, inditum fuisse, declarant Irenaei adv. haer. II, 14 verba: Anaxagoras autem, qui et atheus cognominatus est. Cf. omnino Bailii lex. v. Anax.

5) Fragmenta eorum collegit Ed. Schaubach. Lipsiae 1827.

6) Plat. Apol. p. 26.

7) Plut. v. Pericl. 6. Sic Hippocrates eos nugari arbitrabatur, qui ἱερὰν νόσον potius deorum immortalium irae quam causis naturalibus attribuerent. Hipp. de morb. sac. p. 301 — 303 ed. Foes.

ricum, [1]) ex quo factum est, ut Anaxagoras non solum deos Homericos in vanas imagines et translationes mutare, sed omnino res divinas nihili facere omnemque religionem prorsus tollere videretur. [2]) Ipse *Νοῦς ille*, quem in auxilium vocabat in ratione et disciplina sua exstruenda, nihil excusationis afferebat, ut qui a rerum natura seclusus esset, quum Graeci deos suos in ipsis rebus inesse vellent. [3]) Accedit, quod Atheniensibus, quorum animis semel de philosophia scrupulus inhaesisset, de Anaxagora tanquam auctore illius sapientiae exsecrabilis et principe omnium philosophorum pessima quaeque suspicati esse videntur et augurati, praesertim quum non tam cum omnis generis hominibus commercium coleret, quam cum nobilioribus et sermones ut plurimum conferret [4]) et scripta sua communicaret. [5]) Quam ob rem ne eorum quidem sententiam prorsus nugatoriam esse contenderim, qui ad Anaxagorae accusationem damnationemque aliquantulum etiam Periclis familiaritatem contulisse statuant, quanquam primariam causam ad ipsius philosophi Clazomenii de diis rebusque divinis placita referre minime dubito. Id jam inde, opinor, satis probabiliter conjici potest, quod sacerdos potissimum surrexit, qui ad populum de philosophis accusandis rogationem ferret. Mentionem ejus rogationis Plutarchus fecit in vita Periclis c. XXXII, ubi haecce leguntur: *Καὶ ψήφισμα Διοπείθης* [6]) *ἔγραψεν εἰςαγγέλλεσθαι τοὺς τὰ θεῖα μὴ νομίζοντας ἢ λόγους περὶ*

---

[1]) Diog. II, 11; Wolf. Proleg. ad Hom. p. 162. Hujusmodi mythorum interpretes fuerant praeter Anaxagoram Stesimbrotus, Glaucon, quin adeo jam Pythagoras, Empedocles, Democritus poetarum fabulas ad placita sua illustranda traduxerant. Anaxagoras tamen primus fuit, qui constanti ratione eam interpretationem carminibus Homericis adhibuit. Platonis quidem aetate hoc interpretationis genus viguisse, ex ipso Plat. de rep. II, 378 D apparet, et Heraclides Alleg. Hom. p. 1 sqq. dicit, Homerum *ἠσεβηκέναι, εἰ μηδὲν ἠλληγόρησεν.*

[2]) Eam ob rem arbitrati sunt viri docti, versus Arist. Nub. 380, 820 sqq., 1469, 1474 ad Anaxagoram spectare, etsi alii de Democrito cogitant. Melius Euseb. praep. Evang. XIV, 16 rationem Anaxagorae percepit, quum dicit: *δεισιδαιμονίαν πολύθεον, ἣν πρῶτος Ἑλλήνων Ἀναξαγόρας καὶ οἱ ἀμφ' αὐτὸν ἐξήνεγκαν.*

[3]) Quin adeo Mens illa effecit, ut novum crimen philosopho nostro affingeretur, Suidas enim ait: — *ὑπ' Ἀθηναίων ἐνεβλήθη ἐν δεσμωτηρίῳ, οἷά τινα καινὴν δόξαν τοῦ θεοῦ παρεισφέρων.*

[4]) Idem posterioribus philosophis fraudi fuisse, infra videbimus.

[5]) Plut. v. Nic. c. XXIII: *Ὁ γὰρ πρῶτος σαφέστατόν τε πάντων καὶ θαῤῥαλεώτατον περὶ σελήνης καταυγασμῶν καὶ σκιᾶς λόγον εἰς γραφὴν καταθέμενος Ἀναξαγόρας, οὔτ' αὐτὸς ἦν παλαιὸς οὔτε ὁ λόγος ἔνδοξος, ἀλλ' ἀπόῤῥητος ἔτι, καὶ δι' ὀλίγων καὶ μετ' εὐλαβείας τινὸς, ἢ πίστεως βαδίζων.*

[6]) De hoc sacerdote fanatico, omnium superstitionum acerrimo propugnatore ac patrono, cf. Lobeck. Agl. p.

τῶν μεταρσίων διδάσκοντας, ἀπερειδόμενος εἰς Περικλέα δι' Ἀναξαγόρου τὴν ὑπόνοιαν. At vero hoc plebiscitum non solum in Anaxagoram et alios physicos, sed etiam, id quod ex postremis verbis manifestum est, in Periclem tendebat, qui quantum ex Anaxagorae, Zenonis aliorumque vel philosophorum vel sophistarum doctrina profecisset, quantum omina sperneret, prodigia rideret, ostenta in coelo animadversa vilipenderet, [1]) nemo non videbat. Veruntamen Pericles ipse in judicium non est adductus, quod periculum quibus artibus auxiliisque evitaverit, utrum auctoritate sua et dignitate an amicorum gratia an temporibus denique reipublicae, quibus ipsum deesse non posse omnes perspiciebant, hodie ignoramus. Sed quum columini illi et firmamento civitatis nocere non possent, saltem **Aspasiae** intenderunt impietatis actionem [2]), quae tum de capite tantopere periclitata est, ut Pericles suppliciter eam et multis cum lacrimis defenderit. Et sub idem tempus **Phidias** quoque, statuarius ille celeberrimus, quum sui similem speciem in Minervae clypeo inclusisset, tanquam deorum contemtor in odium hominum incurrit et in vincula conjectus in ipso carcere defunctus est [3]). Quam late tum omnino patuerit illud studium propter spretos deos homines in jus vocandi iniquisque poenis afficiendi, inprimis eos, qui Anaxagoram sectati fuerant [4]), exemplum **Euripidis**, qui hujus philosophi cupidissimus fuerat,

---

981, Arist. Av. 925 ibiq. Schol., Vesp. 380 ἐμπλησόμενος Διοπείθους. Est ille ἑταῖρος Niciae Schol. Equit. 1085. Droysen. Des Aristophanes Vögel u. die Hermokopiden in Mus. Rhen. T. III. p. 180. De Diopithis collegis, Hierocle et Lampone vid. Droys. l. l.; Lobeck. 345, 979; Schoell. Beiträge zur Kenntniß der tragischen Poesie der Griechen, 1. Band die Tetralogien p. 86 sqq. Lamponem jam a. 434 Lysippus in Βάκχαις irrisit, praeterea Callias in Πεδήταις, Cratinus in Δραπέτισιν. Athen. VIII. p. 344 e.

[1]) Suid. v. Περικ.

[2]) Plut. v. Per. 32. Περὶ δὲ τοῦτον τὸν χρόνον Ἀσπασία δίκην ἔφευγεν ἀσεβείας, Ἑρμίππου τοῦ κωμῳδοποιοῦ διώκοντος καὶ προσκατηγοροῦντος, ὡς Περικλεῖ γυναῖκας ἐλευθέρας εἰς τὸ αὐτὸ φοιτώσας ὑποδέχοιτο. Altera hujus actionis parte προαγωγείας γραφὴ significatur, cujus criminis qui reus nocens esset, morte plectebatur. Cf. Meier. et Schöm. l. l. p. 332. Cur impietatis rea acta sit Aspasia, prorsus ignoramus, nisi forte propterea id factum statuimus, quod Aspasia et Periclis uxor esset et socia illorum circulorum, in quibus de rebus inprimis divinis liberius fieret judicium, ex quibus adeo pernicies ac pestis civitatis fluere putaretur.

[3]) Plut. v. Per. 31: In dem Zeitpuncte selbst, wo diese Irreligiosität erst einriß, — haec sunt verba Schoellii l. l. —, erlitt der verdiente Künstler Phidias wegen einer Verletzung der Scheu vor dem Göttlichen, die nur von Zeloten so gedeutet werden konnte, Verfolgung auf den Tod.

[4]) Ipse **Thucydides** historicus, quod Anaxagoreae doctrinae placita imbibisset, tanquam atheus male

est documento. Qui quum vidisset, quantum periculum vir ille summus propter placita sua Athenis subiisset, quantumvis ad philosophiam natus videretur, studio sapientiae misso, ad tragoedias scribendas animum appulit [1]). Verumtamen ne sic quidem impietatis actionem potuit effugere. Quum vero propter illum versum in Hippolyto [2]): ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ' ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος ad eos judices ductus esset, qui plerumque de ejusmodi criminibus cognoscerent, ipsos de sua causa, quippe quae ad judices scenicos ableganda esset, sententias ferre prohibuit. Sic tum quidem salvus evasit [3]), sed non desunt testimonia, quibus appareat, repetitis vicibus eidem manifesto periculo Euripidem pro summa illa, quae in ipso inerat, libertate caput suum obtulisse. Non solum locus quidam Bellerophontis [4]), verum etiam verba nonnulla Ixionis [5]) magnam indignationem populi excitarunt. Quid quod versu illo Melanippes Ζεὺς ὅστις ἐστ' οὐκ οἶδα, πλὴν λόγῳ κλύων recitato spectatores tanta iracundia inflammati sunt, ut Euripides postea haec verba immutaret. [6]) Quae si quis secum reputaverit, magis, opinor, mirabitur, quod Euripides non dedit poenas gravissimas, quam quod aliquoties in discrimen deductus est, quum praesertim poeta noster tantum abfuerit ut solas formas poesis et modos mutaverit, ut ipsas fabulas retractaverit, multa in iis novaverit, deos inprimis in scenam induxerit non eos, qui publice colerentur, sed tales, quales ipse animo suo informasset [7]), quum id omnino egerit, ut omnia ad humanas voluntates, impetus, perturbationes conformaret itaque aequales suos a rebus externis et fabularum commentis avocatos ad veriorem cognitionem, ad majorem animi cul-

---

audiit, ait enim Marcell. vit. Thuc. §. 22. ἤκουσε δὲ διδασκάλων Ἀναξαγόρου μὲν ἐν φιλοσόφοις, ὅθεν φησὶν Ἄντυλλος καὶ ἄθεος ἠρέμα ἐνομίσθη, τῆς ἐκεῖθεν θεωρίας ἐμφορηθείς. Cf. C. W. Krüger. Untersuchungen über das Leben des Thucyd. Berlin 1832 p. 37 sqq.

[1]) Suid. — ἐπὶ τραγῳδίαν δὲ ἐτράπη, τὸν Ἀναξαγόραν ἰδὼν ὑποστῆναι κινδύνους δι' ἅπερ εἰσῆξε δόγματα. Cf. Arist. Rh. III, 15. Haec vera esse, inde apparet, quod usque ab Anaxagorae condemnatione Euripides saepissime fabulas docuit, id quod ante perraro factum est, nimirum annis 455 et 441. Cf. Clint. Fast. Hell.

[2]) V. 612. Haec tragoedia acta est a. 428.

[3]) Platner. l. l. I. p. 394.

[4]) Senec. ep. 115.

[5]) Plut. Mor. 756. b.

[6]) Cf. omnino Müller. Euripides deorum popularium contemtor p. 12 et 13.

[7]) Cf. Hermann. Geschichte und System der Plat. Philos. T. 1. p. 203.

turam traduceret [1]). Qua via profecto insistere non potuit, nisi praeter magnam fiduciam suique rectam aestimationem [2]) quum magistrorum certaminis peculiari tutela tum amicorum potentium ac secum idem sentientium confideret auxilio. Accedit, quod non statim ab initio tam audaciter Euripides propositum suum exsecutus esse, imo vero in eo tum maximopere elaborasse videtur, ut animos hominum componeret ac praepararet ad novam sapientiam suam. Qua in re ut omne cautionis genus adhiberet, non solum Anaxagorae exemplum, sed omnino Atheniensium in philosophos eorumque placita animi infensi atque inimici admonebant. Etenim sub illud tempus, quo princeps physicorum capitis accusatus est, praeterea permultos alios illius doctrinae sectatores aut impietatis actionem expertos aut certe Athenas relinquere jussos esse, et Plutarchus expressis verbis testatur

1) Inde factum est, ut Euripides philosophus scenicus appellaretur, et multa sunt profecto in ejus tragoediis etiam reconditioris sapientiae vestigia, cf. Plat. Gorg. 492 E; inde factum est, ut Socrates fere solas Euripidis tragoedias spectaret, ut Aristophanes contra, qui neque Euripidis rationem neque ea, quae aegras partes reipublicae sanare possent, perspecta haberet, poetam nostrum tam proterve tamque contumeliosis verbis sit consectatus. Id jam in Convivantibus factum est, tum in Acharnensibus, Vespis, Proagone, Pace, Ranis aliisque fabulis. Novissimis demum temporibus viri docti aequius de Euripide judicare et quae ille sibi proposita habuit, subtilius ac penitius cognoscere coeperunt, inter cos Schoellius et Droysenius, quorum hic in praefat. ad. inter germ. Ran. p. 399 ita verba facit: Man muß sich diese ungeheure, lawinengleiche Bewegung vergegenwärtigen, um die Entwickelung der Democratie, der Herrschaft, der Kunst Athens zu verstehen. Des Euripides Größe ist, in diese Bewegung mit Bewußtsein eingegriffen, ja sich in gewisser Beziehung an ihre Spitze gestellt zu haben. Er ist zu freien Geistes, um den volksthümlichen Glauben, die Vorurtheile und Beschränktheiten der Menge zu theilen; im Widerspruch mit dem Allgemeinen und mit sich selbst wirft er sich der Philosophie in die Arme. — Nicht innerer Drang, sondern absichtsvolle Wahl trieb den Euripides zur dramatischen Kunst; durch sie hoffte er mehr als durch abstractes Lehren das Neue dem Volke zuzuführen. Er wollte durch Auseinandersetzung, durch Beispiel, durch Ironie belehren, er wollte Vorurtheile, die herrschten, widerlegen, den Leidenschaften, den das Volk sich blindlings hingab, in den Weg treten; er wollte aufklären. Schoellii de Euripidis ratione ac consilio sententiam infra occasio dabitur cum lectoribus communicandi. Insignis hanc in rem etiam locus est Plut. plac. phil. I, 6: καὶ Εὐριπίδης ὁ τραγῳδοποιὸς ἀποκαλύψασθαι μὲν οὐκ ἐθέλησε, δεδοικὼς τὸν Ἄρειον πάγον· ἐνέφηνε δὲ τοῦτον τὸν τρόπον· τὸν γὰρ Σίσυφον εἰςήγαγε προστάτην ταύτης τῆς δόξης κ. τ. λ.

2) Val. Max. III, 7. ext. 1: Ne Euripides quidem Athenis arrogans visus est, quum postulante populo, ut tragoedia quadam sententiam tolleret, progressus in scenam dixit, se ut eum doceret, non ut ab eo disceret, fabulas componere solere.

et ex aliis quibusdam indiciis probabiliter conjici posse confido. Locus scriptoris illius, qui in vita Niciae [1]) legitur, luculentum in rem nostram exhibet testimonium; habet enim ita: Οὐ γὰρ ἠνείχοντο (sc. Athenienses) τοὺς φυσικοὺς [2]) καὶ μετεωρολέσχας τότε καλουμένους, ὡς εἰς αἰτίας ἀλόγους καὶ δυνάμεις ἀπρονοήτους καὶ κατηναγκασμένα πάθη διατρίβοντας τὸ θεῖον. Quae Plutarchi verba ut vere dicta videantur, eae primum, quas Diogenes Apolloniates expertus est, vexationes faciunt. Namque hunc philosophum Demetrius Phalereus [3]) narrat prae nimia invidia Athenis in summum periculum adductum esse, propter nullam aliam, credo, causam, quam quod ἀνὴρ φυσικὸς καὶ ἄγαν ἐλλόγιμος philosophiam profitebatur eam, cujus praecepta Atheniensibus quam maxime displicerent. Cicero quidem Diogenis nostri ita mentionem facit [4]): Quid aër, quo Diogenes Apolloniates utitur deo, quem sensum habere potest, aut quam formam dei? Quam ob rem etsi causa diserte non memoratur, cur Diogenes in Atheniensium invidiam incurrerit, tamen dubium esse non potest, quin ἀσεβείας argutus ille vel urbe exterminatus sit vel etiam graviores poenas dederit. Et fortasse huc prae ceteris et Hippo ille Samius vel, ut alii volunt, Rheginus, ut Clemens et Arnobius affirmant, Melius, est referendus. Quem et ipsum Athenis versatum ibique vel institutione vel scholis suis notabilem fuisse hominumque animos perculisse, ex Scholiaste ad Arist. Nubes [5]) elucet, qui annotavit, Cratem in Πανόπταις in Hippone olim jam eadem cavilla-

1) c. 23.

2) De physicorum proposito optime judicat Themist. p. 362 ed. Petav.: τῶν γὰρ πρὸ αὐτοῦ σχεδόν τι ἁπάντων περὶ τοῦ οὐρανοῦ φροντιζόντων καὶ ὅπως ἔχει ἡ γὴ θέσεώς τε καὶ σχήματος, καὶ ἐξ ὧν γεννᾶται τὰ ζῶα καὶ ἐξ ὧν φύεται τὰ φυτὰ κ. τ. λ. Cic. Tusc. l. V, 4 ait: Sed ab antiqua philosophia usque ad Socratem, qui Archelaum, Anaxagorae discipulum audierat, numeri motusque tractabantur, et unde omnia orirentur, quove reciderent, studioseque ab iis siderum magnitudines, intervalla, cursus anquirebantur, et cuncta coelestia.

3) Diog. Laert. IX, 57: ἦν (sc. Diogenes) δὲ ἐν τοῖς χρόνοις κάτα Ἀναξαγόραν (cf. Fast. Hell. p. 376.) τοῦτόν φησιν ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος ἐν τῇ Σωκράτους ἀπολογίᾳ, διὰ μέγαν φθόνον μικροῦ κινδυνεῦσαι Ἀθήνησιν. Videtur igitur Demetrius in illa Socratis defensione, Diogenis periculo narrato, ostendisse, Socratem non primum fuisse, qui propter sapientiam suam in extremum discrimem sit adductus ab Atheniensibus.

4) De nat. deor. 1, 12. Diogenes physicorum novissimus plerumque fuisse perhibetur ejusque doctrina partim cum Democriti ac Leusippi, partim cum Anaxagorae scitis conspirat. Cf. de ipso Diog. L. IX, 58 ibiq. Menag. et Ritt. l. l. T. 1. p. 217.

5) V. 97.

tum esse, quae Aristophanes hoc loco Socrati ejusque discipulis exprobret, dicens, *ὡς* (scilicet coelum) *ἐστὶν πνιγεύς*. [1]) Scholiastes ita quidem loquitur: *ταῦτα δὲ πρότερος Κράτης ἐν Πανόπταις δράματι περὶ Ἵππωνος τοῦ φιλοσόφου κωμῳδῶν αὐτὸν λέγει κ. τ. λ.* Pro *Κράτης* tamen *Κρατῖνος* corrigendum est, quum non Crates, sed Cratinus *Πανόπτας* ediderit. Hippo vero quum, priores physicos secutus, et humidum [2]) omnium rerum principium poneret et deos ex hominibus vita defunctis factos esse sibi persuasisset [3]), id quod effecit, ut ei athei nota ab antiquitate inureretur [4]), mirum sane me haberet, si Athenienses, deorum suorum acerrimi tutores ac vindices, talem hominem secum esse permisissent [5]). Quid quod Democritus, qui e Veterum testimoniis fere totum terrarum orbem perlustravit et hic illic sine ulla dubitatione philosophiam suam professus est, id quod ex magno numero eorum apparet, qui ipsum audierunt, etsi Abderam certe non viderunt, Athenis, ubi tum sedes artium et literarum esset, aut porsus non aut perbreve tempus commoratus est, [6]) nisi fingimus, philosophum Abderitam haud ignorasse, quantopere Athenienses physicorum rationem et viam improbarent ac repudiarent. Ipse Archelaus, quem recte, etsi nunc Milesius, nunc Atheniensis fuisse traditur, Atheniensium ortum ponimus [7]), post Anaxagoram condemnatum Lampsa-

[1]) Aër furno consimilis etiam Avib. 938 memoratur.

[2]) Arist. Metaph. 1, 3; de anim. 1, 2.

[3]) Clem. Alex. Protrept. p. 16 C.

[4]) Ael. II, 31. Ibidem plures praeterea recensentur athei, quorum album exhibet Fabr. bib. gr. II, 23, 16. Cf. Sext. Emp. ed. Fabr. p. 561.

[5]) In illa tempora procul dubio et Diphili carmen incidit, quo philosophum Boedam, ceteroquin prorsus ignotum, multo sale perfricuit. Dicit enim Schol. Ariph. Nub. v. 97: *πρῶτον μὲν γὰρ Δίφιλος εἰς Βοίδαν, τὸν φιλόσοφον ὁλόκληρον συνέταξε ποίημα, δι' οὗ καὶ εἰς δουλείαν ἐῤῥυπαίνετο ὁ φιλόσοφος· οὐ διὰ τοῦτο δὲ ἐχθρὸς ἦν.* Cave igitur hunc Diphilum cum nobilissimo comico consequentis aetatis commutes.

[6]) Diog. L. IX, 36 et 37. cf. Hermann. Geschichte u. System der Pl. Philos. p. 282 n. 54. Quam causam Suidas adjicit, cur Democritus Athenas non adierit, ea certe singularis est. Dicit enim: *Ὅτι Δημόκριτος ὁ Ἀβδηρίτης οὐκ ἦλθεν εἰς Ἀθήνας, ἀλλὰ τοσαύτης πόλεως ὑπερεφρόνησεν, οὐκ ἐκ τοῦ τόπου δόξαν λαβεῖν βουλόμενος, ἀλλὰ τῷ τόπῳ δόξαν περιθεῖναι προελόμενος.* Etiam Heraclitus Athenienses aspernatus est, Diog. IX, 15, sed, quamvis Demetrius Phalereus ejus in Socratis defensione recordatus sit, sine dubio aliam ob causam id factum est, praesertim quum major sit, quam ut illis, de quibus nunc sermonem instituimus, temporibus Atheniensium urbem visere potuerit.

[7]) Clint. Fast. Hell. p. 53.

cum se contulisse videtur, ut quum domi vetaretur, peregre magistri sui disciplinam propagaret [1]. Et si postmodo in patriam rediit interque cives suos tutus a vexationibus vixit, id inde contigisse arbitror, quod postea, missis physicorum placitis, de moribus philosophatus est [2]. Docent praeterea Protagorae apud Platonem verba [3], quae ad illud tempus referenda sunt [4], quam caute philosphi ac sophistae, nam hi quoque ab initio interiorem contraxerant cum philosophia familiaritatem, in scientia sua profitenda versari debuerint. Namque illius verba sunt haecce: *χρὴ εὐλαβεῖσθαι τὸν ταῦτα πράττοντα· οὐ γὰρ σμικροὶ περὶ αὐτὰ φθόνοι τε γίγνονται καὶ ἄλλαι δυσμένειαί τε καὶ ἐπιβουλαί.* Quae quum ita sint, Protagoras addit, et jam olim multos artem suam tecte et occulto factitasse, et sua aetate I c c u m, H e r o d i c u m, A g a t h o c l e m, P y t h o c l i d e m [5] multosque alios, in quibus certe ex Plutarcho et D a m o n numerari potest, qui etsi Periclis amicus fuit sapientiaeque suae musicam praetexuit, tamen Athenis exturbatus est. Protagoras ridet quidem ac vituperat hanc sapientiae dissimulationem, quia inde homines etiam infensiores existant, affirmatque se confidenter scita sua alios docere, sed nihilo secius alio loco Plato [6] de ipsius Protagorae cricumspectione cautioneque ita verba facit: *Ἆρ' οὖν πρὸς Χαρίτων πάσσοφός τις ἦν ὁ Πρωταγόρας, καὶ τοῦτο ἡμῖν μὲν ᾐνίξατο τῷ πόλλῳ*

---

1) Eus. praep. ev. X, 14.

2) Nec possum hoc loco, quin conjiciam, ipsum Socratem, Archelai discipulum, ideo per totam reliquam vitam tantum physicorum contemtum simulasse, quod impietatis maculae tum aliis tum Anaxagorae olim adspersae recordaretur.

3) Plat. Protag. 316 D E.

4) Est enim hic dialogus, ut Schleiermacheri argumentatio evicit, etsi ne sic quidem omnes difficultates tolluntur, jam ante a. 430 habitus ex Platonis cogitatione.

5) Iccus nobilissimus athleta fuit, Ael. V. H. XI, 3, Herodicus athleta et medicus, at enim non improbabile est, eosdem et institutioni juventutis operam navasse, quia ille a Jamblicho v. Pythag. 36 Pythagoreus dicitur et ambo ex Themist. *Σοφισ.* or. XXIII, p. 350 Dind. *ἐχρηματίζοντο ἀπὸ τῶν νέων.* Agathocles, Pythoclides, qui Plat. Alc. 1. p. 118 C Periclis praeceptor fuisse narratur, et Damon sapientiam suam musices nomine tegebant. De Damone v. Plut. v. Per. c. IV; Cic. orat. III, 33; Diog. L. II, 19; Lach. p. 180 D; de rep. III, p. 400; IV, p. 424. Vixit, ut ex Axiocho manifestum est, qui dialogus post pugnam ad Arginussas habitus fingitur, certe usque ad a. 405. Plura dat Welkerus in Mus. Rhen. I. I. p. 542.

6) Theaet. p. 152 C.

συρφετῷ, τοῖς δὲ μαθηταῖς ἐν ἀποῤῥήτῳ τὴν ἀλήθειαν ἔλεγεν [1]). Quam ob rem etiamsi nonnulla iis locis, quos modo attuli, cum levi irrisione a Platone dicta videri possint, inprimis ea, quae priore loco de Homero, Hesiodo, Simonide, Orpheo, Musaeo, proposita sua vel poesi vel initiis occultantibus, leguntur, tamen id certe comprobari inde arbitror, quod et aliunde constat, omnem philosophiam illo tempore quum ceteris Graecis tum omnium maxime Atheniensibus suspectam fuisse. Idque jam paulo ante Anaxagoram accidisse videtur, etiamsi philosophus demum Clazomenius id effecisse putandus est, ut Athenienses physicorum eorumque disciplinae saepius mentionem moverent subtiliusque perpenderent, quanta pestis per illos philosophos in civitatem inveheretur. Ex quo factum est, ut non ita multo post, quum Prodicus orationem de divitiis in Lyceo habuisset et in subsequente disceptatione sermo ad deos et preces devenisset, ipse a gymnasiarcha ex Lyceo ejiceretur; [2]) ex quo factum est porro, ut Athenaeus eo loco, quo de Platonis Protagora sermonem instituit [3]), Hippiam [4]) et Protagoram ante Isarchum archontem i. e. ante a. 424 secure Athenis versari potuisse neget, quod si verum est, illud persequendi studium etiam ad reliquos philosophos tum pertinuit; ex quo factum denique est, ut poetae comici, quale erat ipsorum propositum, tam crebro physicos in scena traduxerint, ut, si aliunde testimonia in hanc rem ob temporum memoriam oblivione obrutam peti non possent, certe ex comoediis illorum annorum, quin adeo ex singulis fragmentis aut titulis cognosceremus, quid Athenienses, perpaucis exceptis, per quos ipsos tamen philosopho-

---

[1]) Ad hanc arcanam Protagorae doctrinam spectare nonnullis videtur illa initiatio in Ar. Nub. v. 255 cf. 141, 144.

[2]) Eryxias dialogus, in quo haecce legimus, a. 427 habitus cogitandus est.

[3]) V, 218 C: — οὓς οὐκ εἰκὸς ἐν Ἀθήναις ἀσφαλῶς διατρίβειν, πρὸ τοῦ τὰς ἐνιαυσίας ἐπὶ Ἰσάρχου Ἐλαφηβολιῶνος συντελεσθῆναι σπονδάς.

[4]) Hippiam quidem objicere quis possit propterea Athenas defugisse, quod hostis esset Atheniensium, sed quid Protagoras, quid reliqui philosophi bellum curabant, nisi quod sub armorum strepitu hominum animi ad studia philosophica se satis colligere non possent. Quocirca non solum belli tempestas et incommoditas, sed magis etiam actio impietatis Anaxagorae aliisque philosophis brevi ante intenta viros eruditos tum aditu Athenarum prohibuisse videtur. Post a. 424 vero cum belli tumultu et animi hominum aliqua ex parte sedati sunt, unde factum est, ut eo anno ex Boeckii sententia (cf. Clint. Fast. Hell. p. 72.) Areopago ejus, quam vetustioribus temporibus habuisset, auctoritatis maxima pars sit restituta, ut eodem anno etiam philosophos et sophistas reverti videamus. Gorgiam, quippe rhetorem, non necesse fuerat Athenas relinquere.

rum placita obscure serperent et magis magisque in civitatem introducerentur, de physicorum senserint ratione. Quum enim comici eos homines maxime vellicarent, qui aut rempublicam prave administrarent aut potentia sua inter ceteros excellerent [1]), quin etiam ne iis quidem parcerent, qui aliqua praestantia animique virtute reliquos superarent adeoque, ut erat ingenium Atheniensium, praegravarent, fieri non potuit, quin illam quoque exitiosam sapientiam ejusque in civium mores et juventutis educationem tanquam pestifera depingerent inventa. Idque Aristophanes statim in prima comoedia sua fecit, cujus nomen *Δαιταλῆς* i. e. comissantes est quamque a. 427 actam scimus. [2]) In Acharnensibus vero, quae a. 425 edita, et Euripides, qui quasi vices exulantium philosophorum tum obiisse videtur, traducitur [3]) et alia vestigia in hac fabula insunt, ex quibus intelligitur, quam noxia sapientia illa tum Atheniensibus visa sit, quam visa sit Veterum disciplinam abolere, mores corrumpere, juventutem depravare. Eandemque rem tum saepius a comicis pertractatam fuisse, non est, quod dubitemus [4]), etsi primi anni belli Peloponnesiaci tam graves fuerunt, ut cogitationes Atheniensium belli tumultu ac fortuna maxime occuparentur ideoque res domesticae, quum insuper pestis repetitis vicibus grassaretur, minus attente considerari possent. Postquam vero ex a. 424 philosophi ac sophistae in Atheniensium urbem redierunt ibique denuo magna auctoritate apud nobiliores esse coeperunt, comicis nihil antiquius fuit quam illos viros, qui rempublicam pessumdare et nova rerum molimina in civitatem introducere viderentur, propter vultum superciliosum vel incessus gravitatem aliaque ejusmodi ludos facere, propter placita acerbissimis conviciis dilacerare. Unde evenit, ut Ami-

---

1) Sic olim jam Hermippus aliique Periclem notarant, sic Aristophanes quum alios permultos tum maxime omnium Cleonem in Equitibus sugillavit. Quam saepe Alcibiades exagitatus sit a comicis, in vulgus notum est. De Aristophanis Horis (inter. a. 415 — 407) et Eupolidis Baptis (a. 413.) cf. Welk. Mus. Rh. T. I. p. 590. Eundemque comicum plurimos in scena destrinxisse, jam tituli ut Autolycus, Adulatores, Maricas, et fragmenta, quae supersunt de ipsius comoediis, indicant.

2) Prolegg. Arist. p. XXIX Beck.: *ἐδίδαξε πρῶτος — διὰ Καλλιστράτου. τὰς μὲν γὰρ πολιτικὰς τούτῳ φασὶν αὐτὸν διδόναι, τὰ δὲ κατ' Εὐριπίδου καὶ Σωκράτους Φιλωνίδῃ.*

3) V, 374 sqq.

4) Conjicio, sub illud tempus etiam Cratis comici *ῥήτορας* actam esse, quum Gorgias, qui rhetoricen, si non invenit, certe excoluit et primus Athenis intulit, ex a. 427 ibi juvenum studia sibi comparaverit ardentissima. Verumtamen, ut facile est ad intelligendum, Gorgias, Polus, omnino rhetores illo quidem tempore a vexationibus securi erant, donec Atheniensium animis etiam de rhetorice scrupulus insedit. Notatur rhetorice jam in Arist. Nub. v. 98 et Vesp. v. 462 sqq.

psias in Conno a. 423 edita et Socratem et alios sapientiae doctores ludibrio habuerit [1]); ut Aristophanes in Nubibus eodem tempore et occasione data sub Socratis persona sophistarum mores ac disciplinam in scenam produxerit [2]), quid inter antiquum et novitium tempus quidque inter homines prioris et praesentis aetatis interesset, sub reliquis personis adumbraverit; ut Eupolis in Adulatoribus, quae a. 421 data est, primum Calliae cum sosophistis familiaritatem, tum ipsos sophistas traduxerit multoque sale perfricuerit. Unde consequens est, vel eos, qui plus quam ceteri saperent, in philosophia ruinam veteris disciplinae, pestem civitatis [3]), perniciem rerum publicarum [4]), causam neglectae religionis [5]) deprehendere sibi visos esse. Prae ceteris vero Aristophanes jam ab initio eo errore ductus est, ut, si philosophia ac philosophi e civitate exstirpati essent, antiqua tempora revocari, Majorum simplices mores reduci, vetustarum legum institutorumque denuo stabiliri firmarique posse auctoritatem opinaretur, proinde ac quae fuerunt, ea

---

1) Cf. Roetscher. Aristophanes u. s. Zt. p. 333; G. Hermann. praef. ad Arist. Nub. denuo edit. p. XLV. Chorus hujus fabulae φροντιστῶν fuit (Athen. V. p. 218), et omnino totum comoediae argumentum consimile ut Nubium fuisse videtur. Φροντισταὶ illi sunt nostri physici et nunc simpliciter φροντισταὶ appellantur, nunc οἱ τῶν μετεώρων φροντισταὶ, οἱ τὰ μετέωρα, τὰ δαιμόνια, τὰ θεῖα ζητοῦντες καὶ φροντίζοντες, οἱ μεριμνοφροντισταί.

2) Nam tum demum Nubes aliquid excusationis habent, si non solus Socrates, sed omnium omnino philosophorum ac sophistarum, qui et ante Athenis scholas habuerant et eo ipso tempore praesto erant et auctoritate vigebant, mores et disciplina sub Socratis nomine ab Aristophane ridentur. Alias intelligi non potest, quid φροντιστήριον illud sibi velit, cur Chaos, Nubes, Aer, Dinos tanquam novi dii recenseantur, quum haec omnia non ad Socratem, sed ad Anaxagoram, Protagoram aliosque referenda sint; alias prorsus non erat, cur viro integerrimo tot res affingeret, a quibus ille alienissimus esset, cur hominem omnium sapientissimum et innocentissimum ut ardelionem sugillaret, cur tam effusa licentia perstringeret eum, qui de civibus suis optime meritus esset.

3) Aristophanes in Vespis 1005 sqq. gloriatur, se nuper in sophisticen invectum esse, sed mentem suam non esse intellectam. Confirmantur inde simul ea, quae modo de Nubium consilio in medium protuli.

4) Mirum esset, si ea, quae Callicles in Plat. Gorg. p. 484 C. sqq. contra philosophiam disputat, non multo magis in priora illa tempora convenirent. Dicit enim, philosophiam virum omnino dedecere, quippe qui ejus praeceptis imbutus, omnium rerum, quas vir bonus scire debeat, ignarus reddatur, quippe qui legum urbis obliviscatur, cum aliis conversari ac pacisci dediscat, a vera hominis natura abstrahatur et secum et cum aliis humaniter vivere dedoceatur. Ob easque causas, si quis aequo diutius philosophetur, esse philosophiam διαφθορὰν τῶν ἀνθρώπων.

5) Haec apprime ex Nubibus intelliguntur.

iterum esse possint, quae semel antiquata et obsoleta sunt, ea in effrenato illo et praecipiti temporis cursu renovata ac restaurata unquam remaneant. Nihilo minus haec judicii perversitas in Aristophane infuit [1]), nihilo minus eadem spes multos aequalium Aristophanis tenuit, quae quominus ad effectum daretur, nihil magis obstare videbatur quam illi sapientiae magistri, qui juventuti alios mores induerent, novos deos introducerent, cogitationes hominum a veris commodis reipublicae avocarent, auctores denique essent, ut posteri a patribus omni in genere degenerarent deficerentque. Verum enim vero quantumvis comici illos philosophiae magistros dicteriis suis et aculeis pungerent, quantumvis alii mutatos mores ac sensus civium perspicerent et dolerent, tamen illa liberior cogitandi ratio brevi magna incrementa cepit altasque radices egit in Atheniensium animis. Id luculenter apparet, ut alia ejus rei indicia taceam, ex illis, quas apud Thucydidem legimus [2]), Atheniensium et Meliorum de pace actionibus, id luculentissime apparet ex causa ea, quae de mutilatis Mercurii statuis judicata est, de qua nunc paucis exponere aggredior.

Postquam jam aliquoties juvenes nobiliores noctu a comissationibus [3]) redeuntes et alia ebrietatis documenta ediderunt et deorum signa in viis collocata laeserunt, ex subtili Dodwellii computatione, cui et Droysenius [4]) calculum adjecit, ea nocte, quae diem V ante Idus Maj. a. 415 praecedit, quum classis ad expeditionem Siciliensem apparata in eo esset, ut exiret, factum est, ut praeter unum, qui ante januam Andocidis erat, omnes Hermae dejicerentur [5]). Quod facinus quum non sine multorum consensione perpetratum

---

1) Droysen. in praef. ad Equit. p. 303 dicit: Die Ansicht, die in den ältern Stücken vorherrschend ist, die Wiederherstellung längst vergangener Zeiten, ist — eine poetisch fruchtbare, aber in demselben Maße unpractische Phantasie, etwa wie wenn man in Deutschland die Rückkehr des heiligen römischen Kaiserthums in Gedichten preiset.

2) V, 85 sqq. Dum Melii deorum ope freti, si necesse sit, pro patria pugnare parati sunt, Atheniensium legati simpliciter eloqui non verentur, non ad divinationem, oraculorum effata et similes praestigias confugiendum esse, quandoquidem suis quisque viribus, non deorum auxilio et stet et cadat. Quum inter utrosque de pacis conditionibus non convenisset, Melos expugnata est a. 416.

3) Haud improbabile est, Amipsiam in Κωμασταῖς illos juvenes comissabundos depinxisse et propter odium, in quod Alcibiades ejusque socii sacris violatis venerant, primas tulisse, Aristophanis Avibus posthabita.

4) Des Aristophanes Vögel und die Hermokopiden in Mus. Rhen. T. III. p. 169.

5) Cf. Plut. V. Alc. c. 18 ibiq. Baehr.; Corn. Nep. Alc. 3; Diodor. XIII, 2; Thucyd. VI, 27. 29; Andoc. de myst.

putaretur, senatus et populus protinus in concione edixerunt, ut cuivis vel civi vel inquilino vel servo liceret eorum nomina deferre, qui id scelus commisissent aut alio qualicunque modo sacra violassent. Quo facto quatuor delationes sese invicem exceperunt, Andromachi servi, Teucri, Agaristes, Lydi servi [1]), qui singuli mysteria profanata esse denuntiabant. Prima et tertia delatio inter alios Alcibiadem quoque prodiderant, qui quum ab Androcle per εἰςαγγελίαν sacrorum violatorum accusatus esset, postulavit, ut de se praesente quaestio haberetur, sed quod postulavit, non impetravit. Etenim ipsius inimici haud nesciebant, quam gratiosus esset Alcibiades apud exercitum, qui eo ipso tempore praesto erat, perspiciebantque, multo facilius et utilius fore, absentem reum agere. Et revera vix profectus erat Alcibiades cum classe, quum primum Dioclides [2]), tum Andocides [3]) ea ad magistratum detulerunt, quibus plurimi fugerent, multi continuo ad supplicium ducerentur. Quum vero Andocides eum, in quem jam multis obtrectationibus omnium animi irritati et instigati essent, Alcibiadem dico, non compellasset crimine, denique Thessalus surrexit, qui ipsum, quippe magistratum, iterum per εἰςαγγελίαν de mysteriis proditis accusaret, quod crimen eo majus erat, quia mysteriorum proditio Atheniensibus cum conspiratione libertatis subruendae causa facta videbatur cohaerere [4]). Quo facto absentem violatae religionis, qua re et tum et alias facillime offensi sunt Athenienses [5]), citarunt et missa trieremi ex Sicilia accessiverunt. Jam ascendit quidem Alcibiades navem ad ipsum deportandum emissam, sed in itinere se elam custodibus subduxit, quod quum domum nuntiatum esset, bona ejus sunt publicata, ipse vero capitis damnatus [6]) et ab Eu-

[1]) Cf. Droys. qui l. l. p. 190 uberius de iis exposuit, qui tum ἀσεβείας crimine coarguti sunt. Sunt quidem permulti. Longe plurimi extremo periculo fuga se subduxerunt, sed absentes capitis damnati sunt eorumque bona publicata. Athenis remanserunt Polystratus, Leagoras, pater Andocidis, et nonnulli eorum, quos Teucrus Hermarum violatorum insimulaverat. De Leagorae γραφῇ ἀσεβείας cf. Droys. l. l. p. 198 sqq.

[2]) Andoc. de myst. p. 37. Dioclides ad trecentos illo scelere piaculum contraxisse asserebat.

[3]) Lys. c. Andoc. p. 23.

[4]) Recte Creuzer. Symb. IV, 489 ait: Die Processe gegen Alcibiades, gegen Diagoras und Andere sind zur Beurtheilung der öffentlichen Auctorität der Eleusinien sehr wichtig.

[5]) Metu tyrannidis, si quid insoliti in urbe accidisset, Athenienses statim de dissolvendo statu populari habuisse suspicionem, nemo ignorat. Jam ex Vespis Ar. v. 449 sqq. 470 sqq. cognoscimus hunc metum nimis suspicacem, quem Demosthenes de syntaxi p. 176 reprehendit.

[6]) Omnino eos morte punitos esse, qui, ut ait Horatius Od. 3, 2, 26, Cereris sacrum vulgassent arcanae, discas ex Baehr. comment. ad Plut. Alc. p. 183 sqq.

molpidis et Cerycibus devotus ejusque devotionis exemplum in pila lapidea incisum. Alcibiadem exinde exulasse et demum post octo annorum intervallum in civium suorum gratiam rediisse, in bona restitutum, a sacerdotibus resecratum esse, notissimum est. — Secundum Alcibiadem vero omnium, qui tum in sacrorum violatorum suspicione fuerunt, clarissimus est Andocides, qui ab initio supplicium quidem evitavit, sed nihilo minus infamia notatus patriam relinquere coactus est [1]). Et ubi post multas fortunae vicissitudines [2]) in patriam rediit, denuo impietatis incusatus est a Lysia, qua causa quum iterum cecidisset, etiam tum in exilium perrexit. Atque alios permultos praeter Alcibiadem et Andocidem illa *ἀσεβείας* accusatione implicitos eoque nomine aut sponte in exilium ivisse aut supplicio affectos esse [3]), jam supra monui, apparetque ex hac summa severitate, qua tum Athenienses in impios animadverterunt, quam arcte ipsorum civitas cum sacris copulata colligataque fuerit, ut qui deos populares despicatui duceret, idem civium libertatem opprimere ipsaque fundamenta reipublicae labefactare paratissimus videretur. Et has ipsas res rursus neminem putabant antiqua disciplina imbutum et majorum instituta adamantem sustinuisse patrare, nisi quis ut Alcibiades ejusque socii, discipulus et sectator philosophorum ac sophistarum fuisset imbibissetque novae istius sapientiae praecepta et instituta [4]). Unde verisimillimum est, multitudinem illorum vel nocentium vel innocentium

---

[1]) Lys. c. And. p. 24.

[2]) Ib. p. 26 sqq.

[3]) Utramque factionem, et eorum, qui liberius judicium facerent de rebus divinis, et eorum, qui superstitionibus vel anilibus faverent ac patrocinarentur, et quomodo utrique omnem modum, ut talibus, qualia tum erant, assolet temporibus, excesserint, graphice depinxit Droysenius praef. ad int. germ. Arist Av. p. 242.

[4]) Commode in hanc rem Suidas V. *Εὐμολπίδαι* cf. *Ἐπηράσαντο* ita verba facit: *Ἐπηράσαντο δὲ αὐτῷ Εὐμολπίδαι καὶ Κήρυκες. Καὶ αὖθις· Εἶτα μέντοι παρ᾽ οὐδὲν θέμενος τὰ σέμνα Εὐμολπιδῶν καὶ Κηρύκων καὶ τῶν ἄλλων γενῶν ἱερῶν τε ὄντων καὶ θεοφιλῶν, ἐπίῤῥητον δὲ καὶ θῆλυν σοφίαν προελόμενος.* Haec verba, quae Maximo Tyr. diss. XL p. 395 debentur, ad Alcibiadem spectare, jam saepius monuerunt viri docti. Cf. Bernhard. ad. l. l. Quamquam brevitati consulendum est, tamen non possum, quin nonnullos locos hic transcribam, ubi de re nostra Schoellius ingeniose disputat. Quae insequuntur, exstant l. l. p. 96. Von der Bekämpfung der Irreligiosität und des Freigeistes waren jene verworrenen Prozesse, die Euripides vor sich hatte, ausgegangen, und nachdem die beabsichtigte Züchtigung der Frivolität auf eine ziemlich unklare Weise in Aufspürung und Vernichtung angeblicher Staatsverschwörungen übergegangen war, ließ ihr Ende wieder eine verdächtige Stimmung gegen die Freidenkenden und Lehrer der Aufklärung zurück. Die

fuga aut morte minime contentam, ne magistris quidem sophistices et rhetorices tum pepercisse eosque, nisi graviores poenas statueret, certe urbe sua et finibus exterminasse. Hanc in sententiam quum alia indicia tum praecipue hi in Aristophanis Avibus versus me induxerunt:

ὥσπερ ἐν Λακεδαίμονι
ξενηλατοῦνται, καὶ κεκίνηνταί τινες [1]).

Ad Metonem enim ita loquitur Pisthetaerus;
et sub fine fabulae [2]):

Βάρβαροι δ᾽ εἰσὶν γένος, Γοργίαι τε καὶ Φίλιπποι.
κ᾽ἀπὸ τῶν ἐγγλωττογαστόρων ἐκείνων τῶν Φιλίππων
πανταχοῦ τῆς Ἀττικῆς ἡ γλῶττα χωρὶς τέμνεται.

Conjicio igitur, jam tum Gorgiam in Thessaliam profectum esse, ubi ex Platonis Menone init. rhetor satis diu artem suam professus sit necesse est. Philippus autem sine dubio fuit Gorgiae discipulus, non ipsius filius, id quod nonnulli viri docti ex versu in Vesp.

Athener ahnten immer, daß mit diesen die Gefährdung ihrer Democratie in einem innern Zusammenhange stehe. Nicht ohne Grund. Denn als Aufklärer untergruben sie nothwendig die positiven Halte und angestammten Triebkräfte des Bürgersinns; als Lehrer politischer Klugheit und Beredungskunst machten sie die, zwar democratischen, Mittel selbstständig, in deren Entbindung doch die Democratie sich aufreiben mußte. Et. p. 101 ita pergit: Mit noch mehr Grund befürchtete das Volk von den Lehrern der Dialectik und Beredsamkeit Gefährdung seiner Ruhe und Freiheit. Nicht allein, daß sie die Glaubensvorstellungen, wo nicht bekämpften, doch beseitigten und flüssigere Begriffe an ihre Stelle setzten; nicht allein, daß ihr Unterricht, absichtlich oder mittelbar, Künste der Täuschung und Verführung förderte; ihre Einwirkung erzeugte überdies einen Gegensatz zwischen Gebildeten und Ungebildeten, eine neue Scheidewand zwischen feinen Vornehmen und dem gemeinen Manne, die sich in der That der Volksherrschaft gefährlicher erwies als die ältern Adelsvorzüge der Rossezucht und Olympischen Sieger. — So mehrfach begründet war das Mißtrauen des Demos gegen die Lehrer der Weisheit und Klugheit; so natürlich, daß man sie grade in diesem Zeitpuncte des Restitutions-Eifers, als Neuerer und Staatsgefährliche mit unter die Verfolgten begriff. Aber war nicht eben so natürlich die Bildung, deren Organe sie waren, vom Gang der allgemeinen Cultur herbeigeführt? War es recht sie zu unterdrücken, eines Freistaates würdig, vorhandenen Beruf zu ertödten, war es nur möglich? Von Alle dem erwies sich das Gegentheil.

1) V. 950.

2) V. 1584. Suvernius sibi persuadet, omnino sub Pisthetairo Gorgiam latere et sane neminem fugere potest, quantopere ars rhetorica ac sophistica Avibus perstringatur. cf. vv. 323, 405, 409, 500 sqq.

406: *οἷς γ' ἀπώλεσαν Φίλιππον ἐν δίκῃ τὸν Γοργίου* collegerunt. Nihil ibi significatur, nisi familiaritas, quae inter Gorgiam et Philippum intercedebat, et sodalitas, ex professione ejusdem artis profecta. Videtur ex versu modo laudato Philippus jam brevi ante publicam commissionem Vesparum a. 422 in jus ductus esse, sed posthac iterum emersisse. Eundemque hominem fuisse minime mediocrem atque obscurum, inde jam patet, quod Aristophanes praeter locos citatos ipsum in *Γεωργοῖς* et Alcaeus in *'Ενδυμίωνι* castigavit. Si vero Aristophanes dicit *Γοργίαι τε καὶ Φίλιπποι*, indicari hoc plurali numero puto totum quasi collegium rhetorum, qui illo tempore poenis affecti aut urbe pulsi sunt. Et rhetoribus multo magis philosophos eodem tempore de capite suo periclitatos esse, ex iis, quae jam saepius monui, nihil habere potest admirationis. Ipsum Socratem tum in summo capitis versatum esse periculo, jam olim Valkenarius [1]) conjecit. Sed luculentissimo ac valentissimo ejus rei documento est Diagoras, de quo philosopho nunc fusius exponendum. [2]) Erat ille ex Melo insula oriundus, non, ut nonnulli Veterum tradiderunt, ex Mileto. Minus constat, quo anno natus sit, quanquam Democritus, qui circa Ol. 86 floruit, ejus praeceptor, Simonides, Pindarus et Bacchylides Diagora paulo superiores aetate fuisse feruntur [3]). Fuit igitur Diagoras, si ex magistro conjecturam facere conceditur, *φυσικὸς* interque eos non ultimus [4]). Quo magis dolendum est, quod Lysippi *ἀσεβῶν κατάλογος* et Hermippi, Aristoxeni [5]), Satyri, aliorum *Βίοι*, in quibus haud dubie de Diagora pluribus actum fuit, vetustatem non tulerunt. Eamque ob rem, etsi crebro Diagorae athei [6]) mentio fit apud

---

[1]) Diatrib. Eurip. p. 190.

[2]) Cf. Ersch. et Gruber. Encyclop. v. Diagoras; inprimis Mounier. disputatio philosophico-litteraria de Diagora Melio. Rotrodami 1838; Bayl. lex.

[3]) Schol. Arist. Ran. 323: *τὸν χρόνον κατὰ Σιμωνίδην καὶ Πίνδαρον*; Suidas: *τοῖς χρόνοις ὢν μετὰ Πίνδαρον καὶ Βακχυλίδην*.

[4]) Euseb. vers. arm. p. 209 ad Ol. 74, 2: Diagorii philosophi agnoscebantur et ad Ol. 78, 2: Bacchylides florebat et Diagoras atheus. Quocum Syncellus facit 202, e. p. 483 Dind.: *οἱ περὶ Διαγόραν φυσικοὶ φιλόσοφοι ἤκμαζον* et Hieronymus: Diagoras agnoscitur et sectatores ejus physici philosophi.

[5]) Hunc praeterea *ἐν τοῖς Μαντινέων ἔθεσι* enucleatius de Diagora exposuisse, ex Philodemi volumine Herculanensi *περὶ Θείων* nuper reperto effici posse videtur. cf. Ersch. et Grub. l. l. p. 441, ubi Meierus Philodemi locum huc facientem exscripsit.

[6]) Lactan. de ira dei c. 9; Suidas v. *Διαγ.* ibique Bernhardy.; Ael. V. H. II, 22; Minuc. Felix Oct. c. VIII: Diagoras Melius, cui Atheon cognomen apposuit antiquitas; Cic. de nat. deor. I, 1; I, 23; III, 37.

veteres scriptores, tamen haec monumenta non talia sunt, unde totam vitam hujus philosophi cognoscere aut rationem ac viam ejus contexere possimus. Quae Suidas memoriae prodidit, Diagoram primo servum a Democrito, quippe qui ejus ingenii divitias perspexisset, magno pretio emtum eruditumque esse, ea, quum similia a compluribus rerum auctoribus de Protagora litteris mandata sint, vix fide digna videntur, quanquam Diagorae disciplina cum Democriti placitis consensisse adeoque Diagoras revera a Democrito institutus esse videtur. Veriora sunt, quae de philosophi nostri carminibus narrantur [1]), quum aliis de causis, tum quia saepius una cum Simonide, Pindaro, Bacchylide memoratur. Quorum carminum unum spectabat ad Nicodorum Mantinensem, alterum ad ipsos Mantinenses, unde certa conjectura assequeremur, Diagoram inter et Mantinenses artam intercessisse conjunctionem, nisi Aelianus id ipsum expressis verbis testatum reliquisset. Refert enim, Nicodorum Mantinensem primum pugilem excellentissimum, aetate progressum civibus suis legislatorem exstitisse eumque hoc in opere a Diagora fuisse sublevatum [2]). Ex quo elucet, philosophum certe aliquamdiu Mantineae peregrinatum esse, quam quo tempore reliquerit, ut Athenas migraret, non liquet. Attamen jam aliquantisper in Atheniensium urbe commoratus ejusque nomen famosum esse debuit tum, quum Aristophanes Nubes docuit, quod a. 423 factum scimus, quia Socrates in hac fabula cognominatur ὁ Μήλιος [3]), vel quod poeta Socratem hoc cognomento ut ἄθεον insectatur, vel quod Socrates Diagoram audierat [4]) eoque familiariter utebatur. Quapropter eos scriptores, qui Diagoram demum post expugnatam [5]) patriam ejus i. e. a. 416 Athenas advectum esse

[1]) Hesych. ὁ δὲ τῇ λυρικῇ ἐπέθετο; cf. Suid.; Schol. ad Ar. Ran. 323; Sext. Emp. adv. Math. 9, 53.

[2]) Ael. V. H. II, 23: *Φασὶ δὲ αὐτῷ* (sc. *Νικοδώρῳ*) *Διαγόραν τὸν Μήλιον συνθεῖναι τοὺς νόμους κ. τ. λ.*

[3]) V. 829. Quodsi adeo hoc dicterium inter scitamenta fuit, quibus poeta Nubes post publicam commissionem passim auxit, certe de a. 422 aut 421 cogitandum est. Cf. tamen Bernhardy. ad Suid. v. *Διαγόρας*.

[4]) Schol. ad l. l. annotavit: *Διαγόρου γὰρ τοῦ Μηλίου μαθητὴς ὁ Σωκράτης,* et inferius: *Ἄλλοι δὲ φασὶν ὡς αὐτὸς ὁ Διαγόρας διδάσκαλος ἦν Σωκράτους.*

[5]) Novissime Droysenius in interp. germ. Av. v. 1072 in hunc errorem incidit, olim Scholiast. ad Arist. Av. 1073, Suidas et Tarrhaeus in Proverb. idem peccaverunt. Una ac sola ratio erratum illud excusandi est, si cognomen ὁ *Μήλιος* de Hippone, de quo supra exposui, quem nonnulli scriptores Melium fuisse asserunt, intelligatur. Sed lectio illa sine dubio depravata est, quum Hippo non Melius, sed Rheginus fuerit.

affirmant, jure erroris convincimus, imo vero Diagoras jam Anaxagorae temporibus, bello Peloponnesiaco nondum flagrante, Athenis fuisse potest, etsi Blomfieldius quendam Aeschyli versum ad philosophum nostrum referens [1]) a vero longissime aberravit. Sed fac Diagoram jam antehac inter Athenienses versatum et cum ceteris physicis tum ipsorum urbem relinquere coactum esse, quod propter aetatem ejus fieri potuit, de illo tempore tamen nullum testimonium superest et inclaruit certe philosophus Melius demum post a. 424, quo anno Athenas venisse, ludum aperuisse, et cum nobilioribus inprimis societatem iniisse putandus est. Simulque haud dubie ceterorum philosophorum, qui tum iterum Athenis aetatem suam conterebant, quique partim physicorum, partim Leucippi et Democriti placita clam et obscure disseminabant, appetiit usum ac familiaritatem, indeque, nisi jam antea ipsius Democriti institutio religionem ex ejus animo exemerat, ad deorum contemtum, eorum saltem, quos multitudo immota fide etiamtum tenebat, prolapsus est dicitque omina spernere, viscera et ostenta nihili facere, somnia ac praesagia negligere, mysteria nauci pendere, ut verbo dicam, omnes superstitiones illas inanes aversari ac detestari. Et fortasse talem magistrum et tales amicos nactus etiam longius progressus est Diagoras, ut ipsi acciderit, quod Plutarchus [3]) his verbis designat: *οὕτως γὰρ ἔνιοι φεύγοντες τὴν δεισιδαιμονίαν, ἐμπίπτουσιν εἰς ἀθεότητα τραχεῖαν καὶ ἀντίτυπον, ὑπερπηδήσαντες ἐν μέσῳ κειμένην τὴν εὐσέβειαν.* Hac ratione equidem Diagorae impietatem explicandam censeo, nam quas causas scriptores litteris consignarunt, cur ille deos esse negaverit, eae ex anilibus historiunculis obortae videntur suntque tam levidenses ac futiles, quas vix memoratu dignas putem [3]). Neque vero contentus fuit Diagoras, illa

---

1) Cf. Mounier. l. l. p. 32.

2) De superst. p. 171 E.

3) Sext. Emp. enim 9, 53 haecce narrat: *ἀδικηθεὶς δὲ ὑπό τινος ἐπιορκήσαντος καὶ μηδὲν ἕνεκα τούτου παθόντος, μεθηρμόσατο εἰς τὸ λέγειν μὴ εἶναι θεόν*; Schol. ad Arist. Nub. 929: *διεβέβληντο δὲ ἐπὶ ἀθεΐᾳ οἱ Μήλιοι ἀπὸ Διαγόρου, ὃς χρήματα παραθέμενός τινι καὶ ἀποστερηθεὶς εἰς ἀθεΐαν ἐτράπη.* Quae paulo inferius leguntur, etiam cum historia discrepant. Etenim ita pergit Schol.: *Διαγόρας ὁ Μήλιος, ὃς τὸ πρότερον ἦν θεοσεβής, παρακαταθήκην δὲ ὑπό τινος ἀποστερηθεὶς ἐπὶ τὸ ἄθεον ἐξέδραμεν, ἐφ᾽ ᾧ οἱ Ἀθηναῖοι ἀγανακτήσαντες τὴν Μῆλον ἐκάκωσαν.* Paulo aliter Hesych.: *ἐπεκλήθη δὲ ἄθεος ὅτι ὁμότεχνός τις αἰτιαθεὶς ὑπ᾽ αὐτοῦ, ὡς δὴ παιᾶνα ὑφελόμενος, ὃν αὐτὸς ἐποίησεν, ἐξωμόσατο μὴ κεκλοφέναι αὐτόν, μικρὸν δὲ ὕστερον ἐπιδειξάμενος αὐτὸν εὐημέρησεν· ἐντεῦθεν ὁ Διαγόρας λυπηθεὶς ἔγραψε τοὺς ἀποπυργίζοντας λόγους, ἔκπτωσιν ἔχοντας τῆς περὶ*

scita, quibus Athenienses jam antea tantopere offensi fuerant, ore cum discipulis suis communicare, verum etiam scriptionem exaravit, qua deos deorumque providentiam omnino sustulisse videtur. Tatiano teste [1]) libellus ille inscriptus erat *Φρύγιοι λόγοι*, ut Hesychius [2]) et Suidas [3]) referunt, *ἀποπυργίζοντες λόγοι*. Ex qua scriptorum discrepantia conjicere quis possit, diversas illas denominationes unum titulum constituisse, cujus pars prior argumentum libri famosi exprimeret, altera vero significaret disputandi demonstrandique rationem, quae videlicet ad turris instar argumenta exstrueret exaggeraretque. Meierus contra arbitratur, verum ac proprium nomen illius libri fuisse *Φρυγίους λόγους*, et alteram inscriptionis partem ab aliis adjectam esse. Utut res habet, sicut Democritus *Φρυγίους λόγους* scripsit [4]), sic non dubito quin Diagoras quoque, Democriti exemplum imitatus, sermones suos Phrygios consignarit in iisque deorum Phrygiorum aut fabulas aut res gestas vel ad naturam vel ad historiam, ut postea fecit Euhemerus, revocarit [5]). Quae fabulae quum, ut jam supra monui, eaedem essent ac mysteriorum, Diagoras facere non poterat, quin, quum ea, quae de Rhea, Baccho ceterisque diis Phrygiis crederentur, interpretaretur, simul Orphicorum, Eleusiniorum, Cabirorum arcanam doctrinam excutere adeoque in lucem proferre cogeretur [6]). Accedit, quod parum caute Diagoras hos ser-

---

τὸ θεῖον δόξης. Ad summum hi casus acerbi id efficere potuerunt, ut Diagorae animus maxime vulneraretur itaque, quae Democritus aliique philosophi de deorum vanitate dissererent, et cupidius arriperet et teneret firmius.

[1]) Orat. c. Graec. p. 164 A: *ἀλλὰ τοῦτον ἐξορχησάμενον τὰ παρ' Ἀθηναίοις μυστήρια τετιμωρήκατε καὶ τοῖς Φρυγίοις αὐτοῦ λόγοις ἐντυγχάνοντες ἡμᾶς μεμισήκατε.*

[2]) L. l.

[3]) V. *Διαγ.*

[4]) Diog. Laert. 9, 49.

[5]) Cf. Lobeck. Agl. p. 370; Schoell. l. l. p. 88. Indeque inprimis factum videtur, ut athei infamia apud Veteres flagraret.

[6]) Athenag. legat. pro Christ. p. 5 A: *Διαγόρᾳ μὲν γὰρ εἰκότως ἀθεότητα ἐπεκάλουν Ἀθηναῖοι μὴ μόνον τὸν Ὀρφικὸν εἰς μέσον κατατιθέντι λόγον καὶ τὰ ἐν Ἐλευσῖνι καὶ τὰ τῶν Καβείρων δημεύοντι μυστήρια καὶ τὸ τοῦ Ἡρακλέους ἵνα τὰς γογγύλας ἕψοι κατακόπτοντι ξόανον, ἄντικρυς δὲ ἀποφαινομένῳ μηδὲ ὅλως εἶναι Θεόν.* Cf. Suid. v. *Σαμφ.* sub fine, ubi tamen non minus quam in Schol. Arist. Nub. v. 829 pro *Ἀρισταγόρας* reponendum est *Διαγόρας*. Tum cf. Cyrill. c. Iulian. VI, 190 A. Secundum Suidam et Tarrhaeum in prov. Diagoras etiam ab initiando alios deterruit: *τὰ δὲ μυστήρια οὕτως ηὐτέλιζεν ὡς πολ-*

mones scripsisse videtur, ut mirum non sit, si Athenienses propter ejus impietatem [1]) tanta ira excanduerunt, ut philosophus noster ad immensi periculum evitandum solum mutaret [2]). Sed nihilo secius absens ἀσεβείας convictus factumque et aeri insculptum est plebiscitum, ut qui Diagoram interfecisset, uno talento, qui vivum reduxisset, duobus donaretur [3]). Est sane prima specie, non quod Atheniensium in Diagorae causa iram ac

λοὺς ἐκτρέπειν τῆς ἀρετῆς (τελετῆς). Cf. Schol. ad Arist. Av. 1073. De signo Herculis, quod Diagoras aliquando ligni inopia combussit, et alii scriptores mentionem injecerunt, ut Schol. ad Arist. Nub. V. 829; Clem. Alex. admon. ad gent. p. 15; Sanct. Epiph. in Ancor. p. 106 B; et ad eandem rem Philodemi locus a Meiero in Ersch. et Grub. Encl. v. Diag. p. 441 exscriptus videtur referendus, ubi Stoicos minus numinis divini colentes esse affirmat quam Diagoram, qui tantum ludicra fecerit.

1) Etsi Diagoras nunc deos ludibrio habuisse nunc prorsus negasse nunc novos deos introduxisse dicitur, tamen id potissimum perniciale philosopho fuit, quod sacra Atheniensium arcana vel scholis suis vel scriptis profanasse credebatur. Id ex Lysiae loco c. Andoc. p. 214 liquido apparet: τοσοῦτο δ' οὗτος (sc. Andocides) Διαγόρου τοῦ Μηλίου ἀσεβέστερος γεγένηται· ἐκεῖνος μὲν γὰρ λόγῳ περὶ τὰ ἀλλότρια ἱερὰ καὶ ἑορτὰς ἠσέβει, οὗτος δὲ ἔργῳ περὶ τὰ ἐν τῇ αὑτοῦ πόλει.

2) Si ex loco, quem Mounier. l. l. p. 78 ex Γνώμαις κατ' ἐκλογὴν κ. τ. λ. transcripsit, conjecturam facere licet, Diagoras jam antea in jus ductus erat, sed tum Alcibiadis aliorumque amicorum interventu et gratia videtur dimissus esse. Namque dubium non est, quin Diagoras, ut reliqui philosophi, inprimis illis nobilioribus familiariter usus sit, inque eorum ἑταιρίαις plurimum valuerit. Sed locus ille ita habet: ὁ αὐτὸς λειφθεὶς (ληφθεὶς) ὑπὸ Ἀθηναίων, καὶ μέλλων ὑπ' αὐτῶν ἐπὶ θανάτῳ ἄγεσθαι, ἐπὶ τῷ θεοὺς μὴ ὀνομάζειν (fort. νομίζειν), ἀνατείνας τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν, ἔφη· ὦ θεοὶ, εἰ ἐστὲ θεοὶ, σώσατέ με.

3) Diodor. 13, 6 ita refert: Διαγόρας ὁ κληθεὶς ἄθεος διαβολῆς τυχὼν ἐπ' ἀσεβείᾳ καὶ φοβηθεὶς τὸν δῆμον ἔφυγεν ἐκ τῆς Ἀττικῆς· οἱ δ' Ἀθηναῖοι τῷ ἀνελόντι Διαγόραν ἀργυρίου τάλαντον ἐπεκήρυξαν. Schol. ad Arist. Av. 1073: Μένανδρος (Μελάνθιος) δὲ ἐν τῷ περὶ μυστηρίων προφέρεται τῆς χαλκῆς στήλης ἀντίγραφον, ἣ ἐπεκήρυξαν καὶ αὐτὸν καὶ τοὺς ἐκδιδόντας Πελλανεῖς, ἐν ᾗ γέγραπται καὶ ταῦτα. ἐὰν δέ τις ἀποκτείνῃ Διαγόραν τὸν Μήλιον, λαμβάνειν ἀργυρίου τάλαντον, ἐὰν δέ τις ἀγάγῃ, λαβεῖν δύο. Baillius verba τοὺς ἐκδιδόντας Πελλανεῖς interpretatur: qui Diagorae libros in lucem edidissent. Meierus corrigi vult τοὺς μὴ ἐκδιδόντας Πελληνεῖς vel Παλληνεῖς. Priorem lectionem fortasse stabilire potuit v. 1328 Arist. Av., ubi sycophanta interrogatur, an Πελλήνην volare cogitet. Cf. tamen Mounier. p. 125. Speciosissima est Schoellii p. 90 de nostro loco conjectura, qui pro τοὺς ἐκδιδόντας Πελλανεῖς scribi jubet τοὺς περὶ Λεοντανὸν Πελλανὸν, cujus

severitatem, sed quod ipsorum summam saevitiam et rationes prorsus insolitas miramur. Meierus quidem ejus rei causas inde petit, quod Diagoras ex Melo insula oriundus adeoque Doriensis fuerit, quae gens cum Atheniensibus tum de principatu dimicaret, deinde quod ille Mantinensium fuerit amicus, qui paulo ante foedus cum Atheniensibus ictum solvissent, ad postremum, quod eo tempore potissimum philosophus veneranda gentis Joniae instituta violaverit, quo de nobiliorum adolescentium licentia rerumque novarum studio populo Atheniensium magna injecta esset suspicio. Postremum argumentum sane gravius est, dum priora leviora duco. Equidem primariam causam in ipsis Diagorae placitis latere censeo, quibus philosophus jam a. 423 tam notabilis fuerit necesse est, ut cognomentum illud in Nubibus, ὁ *Μήλιος*, aculeum suum haberet. Et inde ab illo tempore decreta sua ab Atheniensium religione alienissima, non solum scholis disseminavit, sed conversatione et usu suo id assecutus est, ut magnam auctoritatem adipisceretur magnamque gratiam apud optimates, inprimis nobiliores juvenes iniret[1]). Quae quum jam ante plebis suspicionem movissent, scriptio illa in multitudinis notitiam venit, qua palam deos deridere et quae sanctissima ducebantur, susque deque habere videretur[2]). Haec omnia si in unum colligamus, mirum esse non potest, quemadmodum in Alcibiadem et alios permultos, sic in Diagoram, quippe qui vel maxime disciplina sua deos populares in contemtum adduxisset eoque ipso juventutem ad licentiam et effrenatas libidines in-

---

Leontis et Tatianus meminit: *Λέοντος κεκτημένοι τὰ ὑπομνήματα τοὺς ὑφ' ἡμῶν ἐλέγχους δυσχεραίνετε*, et Arnobius adv. gent. IV, 29: Possumus omnes istos, quos introducitis atque appellatis deos, homines fuisse demonstrare vel Euhemero replicato vel **Pellaeo Leonte** vel Cyrenensi Theodoro vel Hippone ac Diagora Meliis. Cf. Lobeck Ag. p. 999. Sed de Atheniensium in Diagoram severitate cf. praeterea Schol. ad Arist. Ran. 323. Quae vero Suidas sub vv. *Ἀναδεῖ* et *Ἐξεφοίτα* habet, ea potius ad alium quendam impium quam ad Diagoram referenda videntur.

1) Chrysost. Homil. IV in prim. epist. ad Corinth. c. 5. p. 30. D. ed. Montfauc.: *καὶ Διαγόρας ὁ Μιλήσιος! καὶ Θεόδωρος ὁ λεγόμενος ἄθεος καίτοι φίλους εἶχον καὶ δύναμιν τὴν ἀπὸ τῶν λόγων καὶ ἐπὶ φιλοσοφίᾳ ἐθαυμάζοντο, ἀλλ' ὅμως οὐδὲν τούτων αὐτοὺς ὤνησεν.*

2) Verumtamen Athenienses in eo fallebantur, quod Diagoram mysteria effutisse sibi persuadebant. Diagoras, quippe Doriensis, ne initiatus quidem erat adeoque fieri non poterat, ut arcanam illam doctrinam in lucem vocaret. Sed in hanc suspicionem inciderat, quod de diis, quos in mysteriis Eleusiniis et Samothraciis colebant, philosophatus eorumque res et historiam interpretatus erat.

duxisset, severissime esse animadversum. Nam incidit ejus condemnatio in illud tempus, quo, classe in Siciliam profecta, denuo in Alcibiadem et reliquos, de quibus supra diximus, inquirere coeperunt, in anno 415. Quas causas quamvis Athenienses sibi visi sint justissime et constituisse et obtinuisse, tamen aliter de hac re, ut paulo inferius ostendam, judicavit Euripides, aliter judicavit etiam Aristophanes, qui hunc in modum civium suorum tum opiniones praejudicatas et judiciorum iniquitatem ridicule castigat [1]): *Τῇδε μέντοι θ'ἡμέρᾳ μάλιστ' ἐπαναγορεύεται, Ἢν ἀποκτείνῃ τις ὑμῶν Διαγόραν τὸν Μήλιον, λαμβάνειν τάλαντον· ἤν τε τῶν τυράννων εἰς τινα τῶν τεθνηκότων ἀποκτείνῃ, τάλαντον λαμβάνειν.* Haerent interpretes praecipue in verbis *τυράννων τεθνηκότων*, quae alii silentio praetermiserunt, alii falso aut minus accurate explicuerunt [2]). Sunt vero sub tyrannis Alcibiades ejusque socii intelligendi, quos pestifera illa sapientia seductos primum in pravos mores, mox in legum et institutorum patriae despicientiam, postremo in principatus cupiditatem prolapsos esse sibi persuadebant Athenienses. Sed comicus quum neminem tyrannum habeat nisi Pisistratidas, *τῶν τεθνηκότων* subjungit, qua voce significat, nec esse quemquam in praesentiarum, qui tyrannidem affectet, nec fuisse, nam haec est altera pars reprehensionis, cur Diagoras tam gravi poena afficeretur. Simulque obiter moneo, *τῇδε ἡμέρᾳ* non esse posse his diebus festis, quibus Aves scilicet edebatur, etsi non negaverim, ejusmodi praeconia diebus festis ac solemnibus fieri consuevisse, ut et cives et hospites, qui permulti iis temporibus praesto essent, audirent adeoque rumor latius spargeretur, imo verisimile est, jam aliquantum temporis, ad minimum quatuor menses, exinde exactum fuisse, ex quo Diagoras, ne ad mortem duceretur, aufugerat, siquidem Euripides, ut Schoellius l. l. vult, tetralogia illa, quam *Ἀλέξανδρος, Παλαμήδης, Τρῳάδες, Σίσυφος σατυρικὸς* constituerant, quamque brevi ante Aristophanis *Ὄρνιθας* in scenam inductam scimus, et Diagorae et Protagoreae causam tecte ac sub personarum involucris defendit [3]). De utroque horum virorum ingeniosa est Schoellii disputatio, dum probare enititur, Euripidem illas tragoedias scripsisse, ut et statum rerum externum et domesticum civium suorum, ut prosperos belli successus et imminentia pericula, ut spes et timores, praecipue

---

[1]) Av. v. 1073.

[2]) Scholiast. ad l. l. *τεθνηκότων* interpretatur *ἐπὶ θανάτῳ φευγόντων*, sed eum perperam ita interpretatum esse, nemo non videt.

[3]) Euripidis tetralogia procul dubio a. 415 mens. Decemb. parvis Dionysiis edita eamque Aristophanis Aves mox subsecuta est, sc. a. 414 mens. Mart.

vero ipsorum injurias et crudelitates vel depingeret ac repraesentaret vel notaret et audacissime castigaret. Quod propositum ut exsequeretur, fieri non potuisse, quin et Alcibiadis et reliquorum brevi ante acerbissime injustissimeque maximam partem condemnatorum obscure causam tangeret. Inprimisque in Palamede exemplum virorum eruditorum inique et contumeliose tractatorum apparuisse, ut scilicet lites in Diagoram et Protagoram actae notarentur, et Troadum os resonasse fere ipsis Diagorae decretis mysteriisque etiam a diis neglectis, non quo poeta omnino religionem popularem contemneret, sed ut hinc Atheniensium in aliorum opinionibus reprimendis summam severitatem, illinc eorundem in rebus gerendis extremam crudelitatem et duritiem, ex qua ipsos revera deos spernere et impios esse palam fieret, increparet et acerrime vituperaret [1]). Et profecto Euripidem grave de Atheniensibus tum fecisse judicium, quum ex aliis, quae Schoellius pervestigavit, elucet indiciis, tum inde praecipue, quod in illa commissione Xenocli, ignobili alioquin poetae, quippe qui fabulis suis deorum popularium verecundiam, oraculorum reverentiam, omnium denique superstitionum observantiam maxime inculcasset, primae [2]), Euripidi vero, cujus consilium spectatores odorati essent et aegerrime ferrent, demum secundae a certaminis judicibus delatae sunt. Jam Diagoram quidem illa Euripidea defensione comprehensum fuisse, facile quis concesserit, difficilior contra quaestio est de tempore, quo Protagoras ἀσεβείας reus actus inque jus ductus est ab Atheniensibus. Quae res quum ad liquidum perduci non possit, nisi paucis in antecessum de vita Protagorae ante accusationem acta in medium prolatis, et aetatem ejus et doctrinam, inprimis quae ratio ac necessitas ipsum inter et Athenienses intercesserit, nunc strictim attingam. Natus erat Protagoras Abderae habuitque Democritum et popularem et fere aequalem. Ab initio, ut Suidas [3]) aliique [4]) complures scriptores referunt, bajulus fuit, sed quum

[1]) Verba viri docti huc referenda sunt l. l. haecce: Ging demnach die Absicht des Euripides dahin, den Unwerth und die Kraftlosigkeit solcher Religion zu zeigen? — Das glaub' ich nicht, wohl aber, daß er seinen Mitbürgern fühlbar machen wollte, wie sehr sie mit sich selbst im Widerspruch seien, wenn sie mit so furchtbarer Bigotterie über den Ehren der Götter wachen, während ihre eigne Kriegspolitik den Glauben an das Walten der Götter am meisten untergraben müsse. Denn indem sie in schonungsloser Städtezerstörung und Völkerschlacht selbst der Scheu vor Schutzgöttern Hohn sprechen, bringen sie dem leidenden Theile den Glauben an Gleichgültigkeit der Götter mit der That auf, den sie als Lehrmeinung mit tödtlicher Strenge verfolgen.

[2]) Ael. V. H. II, 8. Erat Xenocles ex gente Carcinorum oriundus, quae sub fine Vesparum Aristophanis spectatoribus propinatur deridenda. De ipsius stirpe cf. Droysen. ad Vesp. v. 1501.

[3]) V. Πρωταγ.

[4]) Gell. N. A. 5, 3; Diog. L. IX, 53; X, 8; Athen. VIII, p. 354 c.

solerti lignorum colligatione Democriti animum aliquando advertisset [1]), in hujus philosophi disciplinam venit ibique imbibit ea de mundo, de hominis anima, de rerum ortu et interitu, de necessitate illa, qua omnia traherentur, de cognoscendi facultate ac ratione praecepta, quae a vulgari sentiendi cogitandique ratione maximopere abhorrerent, quae adeo cum hominum moribus et institutis, cum ipsis legibus civitatum vehementer pugnarent et discreparent. Quum Democriti atomi huc illuc temere et casu concursantes omnium rerum, quippe e illis atomis nascentium, continuum quasi fluxum et inconstantiam efficerent quumque eam ipsam ob causam haec philosophia, utpote singulis et quasi disjectis sparsisque membris naturae occupata vel potius districta, ad unitatem quandam ac firmitatem pervenire non posset, demirandum non est, si nobis acrius intuentibus similia etiam in Protagorae disciplina deprehenduntur [2]). Nam etsi sophista clarissimus mox viam praeceptoris reliquit animumque applicuit ad sapientiam politicam et oeconomicam [3]), tamen ex Democriti ratione mutuatus est illam de quavis sententia, de omnibus et sensis et cogitatis addubitandi et in utramque partem disputandi consuetudinem [4]). Ipsi dii, ipsa virtus hac dubitatione comprehensa erat natumque inde est illud contentiosum genus dicendi illaque orationis certamina [5]), quae Protagoras primus introduxit. Praeterea hominem omnium rerum mensuram esse statuit [6]) excogitavitque illud *τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν* [7]), quod in Nubibus Socrati exprobratur. Hoc inventum spectabat potissimum ad eloquentiam judicialem [8]), quam ut excoleret, modo discipulis subtiles quaestiones proponebat [9]), modo verborum sensum paulo accuratius explicabat [10]), interdum poetarum

[1]) Philostrat. VV. sophist. X.

[2]) De Protagorae doctrina omnino fusius Plato in Theaeteto exponit.

[3]) Plat. Protag. p. 318.

[4]) Senec. Epist. 88: Protagoras ait, de omni re in utramque partem disputari posse ex aequo; Diog. L. IX 51.

[5]) Suidas: *πρῶτος δὲ οὗτος τοὺς ἐριστικοὺς λόγους εὗρε, καὶ ἀγῶνα λόγων ἐποιήσατο.*

[6]) Diog. L. IX, 51. Hoc dictum ex ea ratione profectum est, quam Roetscherus l. l. p. 391 his verbis designavit: subjectiver Standpunct, auf dem die objectiven Bestimmungen der Sitte und des Gesetzes vom einzelnen Subjecte überwunden sind und sich dasselbe als absolut Entscheidendes an die Stelle jener Mächte setzt. Sensum hujus formulae pluribus explicat Ritter. l. l. T. I. p. 589.

[7]) Aristot. Rhet. II, 24 ext.; Gell. V, 3; Cf. Welker. in Mus. Rhen. T. I. p. 557.

[8]) Hinc natus est locorum communium usus, Diog. L. IX, 53.

[9]) Composuit eam ob rem *τέχνην ἐριστικῶν*. Diog. L. IX, 55; Plat. Soph. 232 D.

[10]) *Ὀρθοέπεια* ejus laudatur Plat Phaed. 267 C. Quae ipse in grammatica et rhetorica novaverit, cf. Kaiser. ad Philost. VV. soph. p. 199 sqq.

locos interpretabatur, id quod jam ex Platonis Protagora elucet. Quae si in unum colligamus, non possumus, quin Diogeni Laertio [1]) suffragemur, qui Protagoram primum Socraticam illam disputandi rationem formasse judicat [2]). Eaque similitudo Aristophanem commovit, ut quae Protagoras invenerat eique propria erant [3]), ea in Socratem, quippe qui civis Atheniensis esset, transferret. Sed ut oratio illuc redeat, unde deflexit, postquam Protagoras a magistro suo divertit, primo in ipsa patria alios in disciplinam recepit et jam tum scholis suis adeo inclaruit, ut cognomine *λόγου* honestaretur [4]). Non ita multo post tamen patriam reliquit et Graecorum urbes obire coepit, qua in peregrinatione se confidenter sapientiae doctorem professus [5]) et ex institutione sua per quadra-

---

[1]) IX, 53; Herm. l. l. p. 227.

[2]) Omnino sophistas optime de litteris artibusque meritos fuisse, primus, nisi fallor, Meinersius vidit eamque rem C. F. Hermannus eo libro, quam jam saepius laudavi, et alias et p. 225 docta ac subtili disputatione persecutus est. Recte ibi statuit vir doctissimus, sophistas et Socratem, si unam rem excipias, in reliquis omnibus ab eadem ratione profectos esse et maxime inter sese conspirare. Sed quidni verba ipsa, quippe quae acute hanc rem definiant, hic transcribam. Dicit igitur v. v. l. l: Was Sokrates von den Sophisten unterscheidet, ist im Grunde der einzige Umstand, daß er geistige Unbefangenheit und Selbstverläugnung genug besaß, um nicht gleich auf die erste beste Wahrnehmung ein allgemeines Urtheil zu begründen, und jedes Resultat reflectirenden Nachdenkens sofort zur Prämisse eines Schlusses tauglich zu achten, sondern eine jede Behauptung erst in den verschiedenartigsten Verbindungen zu prüfen, ehe er ihr eine annähernde Gewißheit zugestand; sein Standpunct aber bleibt bei allem dem der der Reflexion und mußte es bleiben, da er einmal der der Zeit geworden, von dem sich kein Rückschritt mehr thun ließ.

[3]) Schol. ad Arist. Nub. v. 113. Cf. ips. Nub. 248, 265, 319, 320, 895, 941 — 950, 1021, 1400.

[4]) Ael. V. H. IV, 20. Fortasse ad hoc cognomen Aristoph. Nub. 892 alludit, certe insequens justi et injusti sermonis altercatio, ut modo dicebam, Protagoream doctrinam redolet. Nam etsi minime negaverim, Aristophanem illo loco omnino effigiem morum antiquorum et novitiorum exprimere voluisse, tamen ibidem id ante omnia docetur et vividis coloribus depingitur, quid sit *τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν* et quantae quum in universa vita tum praecipue in jure dicundo hoc Protagorae praeceptum secutae sint mutationes, Apte in hanc rem Roetscherus l. l. p. 140 ita disserit: Vor Allem machte sich diese Sophistik der Rede im Rechte geltend, da hier die Verfolgung der subjectiven Interessen ihren ergiebigsten Boden hatte und an der vielgewandten Rede das einfache und kunstlose Wort am meisten scheiterte, ohne daß der Schein des Rechts verletzt wurde, da man ja doch mit gleichen Waffen in die Schranken trat.

[5]) Primus sophistam sese appellavit, cf. Herm. l. l. p. 308. n. 204 primusque a discipulis mercedem institutionis exegit, Plat. Prot. 349 A; Diog. L. IX, 52 ibiq. Menag.; Plat. Men. p. 91 D; Theaet.

ginta annos innumeras pecunias lucratus est. Devenit jam tum etiam Athenas et quidem, si ex Hippocrate apud Platonem [1]) conjecturam facere licet, qui se puero Protagoram primum Athenas accessisse affirmat, circa a. 445. Anno 443 tamen coloniam ab Atheniensibus Thurios deductam comitatus est novaeque civitati leges scripsit [2]). Quo facto alias urbes Italiae et Siciliae adiit ibique, praeterquam quod nobiliores litteris et eloquentia instruxit, sine dubio etiam cum philosophis Eleaticis conversatus est profecitque ex ipsorum argutiis et captiosis disputationibus. Quapropter neminem subeat mirari, quod Protagoram, ubi a. 432 vel 431 Athenas rediit [3]) et apud Galliam divertit, a multis peregrinis deprehendimus comitatum quodque fama de Protagorae reditione mox per urbem percrebuit. Nec non ex reliqua Platonis in Protagora narratione, quanquam singula levi irrisione perfusa sunt, perspicue cognoscitur, quanta dignitas fuerit sophistae, quam concelebratum ejus nomen tota Graecia. Quam ob rem dubium esse non potest, quin Protagoras et ante et eo, de quo nunc loquor, tempore in nobilissimorum [4]) circulos ac familiaritatem venerit, etsi vix crediderim, sophistam nostrum tum diutius commoratum esse Athenis, sive quod Anaxagorae accusatio, quanquam Protagoras statim ab initio a physicis diversam sapientiam professus est, sive quod belli Peloponnesiaci eruptio abire jussit. Omnino altera haec Protagorae Athenis commoratio ex solo Platonis dialogo cognomini concluditur, quem in ejusmodi rebus auctorem parum locupletem esse, ex hoc ipso colloquio ita probatur, ut contradici nequeat. Verumtamen perquam probabile est, viginti annorum intervallo, nam post a. 424 tertio ipse Athenas accessisse videtur, nisi crebrius, saltem semel sophistam nobilissimum ad sedem illam litterarum et artium esse appulsum. Protagoram vero post a. 424 Athenis fuisse, ex Aristophanis Nubibus, ubi sub Socratis persona, ut jam saepius monui, prae ceteris philosophis ac sophistis Protagorae disciplina notatur, probabiliter conjici posse videtur, etsi Athenaeus [5]) Abderitam nostrum, quippe

p. 161, quanquam jam ante et poetae et philosophi et artifices donaria acceperant, cf. Welker. Mus. Rhen. T. I, p. 31.

[1]) Protag. 193 F. Cf. etiam Hipp. Maj. p. 96 C.

[2]) Diog. L. IX, 50.

[3]) Ut jam supra monui, Platonis Protagoras decem vel undecim annis prius quam res minoris momenti cogunt, i. e. a. 432 vel 431, habitus fingendus est.

[4]) Periclis cum Protagora conversantis meminit Plut. v. Per. c. 36. Neque Euripidem in convictu illo familiari desideratum fuisse, vel me non monente intelligitur.

[5]) V. 218 C: ἐν οὖν τούτῳ τῷ δράματι Εὔπολις τὸν Πρωταγόραν ὡς ἐπιδημοῦντα εἰςάγει,

qui non inductus sit ab Amipsia in Conno, eodem quo Nubes et anno et festo data, *ἐν τῷ τῶν φροντιστῶν χορῷ*, contra in Eupolidis Adulatoribus, quae a. 421 acta est, praesto esse dicatur, inter a. 423 et 421 advenisse contendit. At vero Amipsias Protagoram poterat non in scenam inducere propter causas nobis ignotas et Eupolis ipsum praesentem fingere, quamvis absens esset.* Nubes contra Aristophanis ex recenti memoria nostri sophistae ejusque rationis et instituti conceptae videntur, quam ob rem ipsum jam post a. 424, quo denuo et alii viri eruditi in Atheniensium urbe peregrinari coeperunt, Athenas revisisse nobis persuademus. Insequentium annorum memoria quidem oblitterata est, sed confido inde ab illo tempore Protagoram plerumque in Atheniensium urbe aetatem egisse ibique a Callia [1]), Alcibiade, Euathlo, Archagora, Euripide, Isocrate [2]) aliisque permultis, vel generis dignitate conspicuis vel doctrina illustribus, honoratum et locupletatum, cum aliis philosophis ac rhetoribus vero, ut Socrate, Diagora, Gorgia, Polo, Prodico, aliis, saepius collocutum et conversatum fuisse. Hunc in modum incredibili felicitate per multorum annorum spatium floruisse videtur, donec sub vitae exitum ob librum quendam, qui *περὶ Θεῶν* inscriptus erat quemque aut ipse in Euripidis vel in Megaclidis domo, aut Archagoras, ipsius discipulus, in Lyceo [3]), ubi quum alii sophistae tum Prodicus vel subito vel de scripto declamitarunt, recitavit, in extremum discrimen ab Atheniensibus ductus est. Namque illius libri exordium quum ita sonaret [4]): *Περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι, εἴθ'* (alii *οὔτε*) *ὡς εἰσὶν, εἴθ'* (*οὔτε*) *ὡς οὐκ εἰσίν. πολλὰ γὰρ τὰ κωλύοντα εἰδέναι, ἥ τε ἀδηλότης καὶ βραχὺς ὢν ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου*, a Pythodoro aut Euathlo in jus vocatus est [5]), additque Josephus contra Apionem [6]), Protagoram, nisi fugam citissime

---

* *Ἀμειψίας δ' ἐν τῷ Κόννῳ, δύο πρότερον ἔτεσι διδαχθέντι, οὐ καταριθμεῖ αὐτὸν ἐν τῷ τῶν φροντιστῶν χορῷ. δῆλον οὖν ὡς μεταξὺ τούτων τῶν χρόνων παραγέγονεν.*

1) De Callia, Hipponici filio, ad quem Eupolidis *Κόλακες* spectabant, in cujus domo magnifica Platonis Protagoras et Xenophontis Symposium habiti sunt, cf. Stallb. ad Plat. Apol. p. 29 et Pauly. Real-Encyclopädie T. II. p. 81.

2) Suid. v. *Πρωτ.*: *διδάσκαλος* (sc. Protagoras) *δὲ γέγονε καὶ τοῦ ῥήτορος Ἰσοκράτου.*

3) Diog. L. IX, 54.

4) Ib. 51; Cic. de nat. deor. 1, 23.

5) Ib. 54. Pythodorus unus erat ex quadringentis, Euathlus vero discipulus Protagorae, qui ab Aristoph. Acharn. v. 710 et Vesp. v. 592 traducitur. Cf. de ipso Gell. lib. V, 10; Apulej. Florid. 18.

6) II, p. 1079 F: *εἰ μὴ θᾶττον ἔφυγε, συλληφθεὶς ἂν ἐτεθνήκει, γράψας τε δόξας οὐχ ὁμολογούμενον τοῖς Ἀθηναίοις περὶ θεῶν.* Paulo aliter Philost. VV. Soph. X: *Διὰ μὲν δὴ*

capessivisset, moriturum fuisse. Et Josepho adstipulatur Sextus Empiricus [1]), qui praeterea ex Timonis Sillis nonnullos versus ad Protagoram spectantes asservavit, unde edocemur, sophistam fuga sibi consuluisse, ne cicutam Socraticam hauriret [2]). At vero enim Athenienses tantum aberat ut satis haberent, sophistam in fugam sese conjecisse, ut absentis libros, sub praeconis voce a singulis, qui illos possiderent, indagatos, in foro cremarent [3]), ex quo nonnulli viri docti putant accidisse, ut nullae scriptorum Protagoreorum

---

τοῦτο πάσης γῆς ὑπὸ Ἀθηναίων ἠλάθη, ὡς μέν τινες, κριθείς, ὡς δὲ ἐνίοις δοκεῖ, ψήφου ἐπενεχθείσης μὴ κριθέντι. Plut. Nic. 23: *ἀλλὰ καὶ Πρωταγόρας ἔφυγε.*

[1]) P. 564 ed. Fabric.

[2]) *οὔτ' ἀλιγυγλώσσῳ οὔτ' ἀσκόπῳ οὐδ' ἀκυλίστῳ Πρωταγόρῃ. — πᾶσαν ἔχων φυλακὴν ἐπιεικείης· τὰ μὲν οὔ οἱ Χραίσμησ', ἀλλὰ φυγῆς ἐπεμαίετο, ὄφρα μὴ οὕτως Σωκρατικὸν πίνων ψυχρὸν, ποτὸν Ἄϊδα δύῃ.* Cf. Welk. Mus. Rh. T. 1. p. 641. Si quis haec verba urgere velit, possit sibi persuadere, demum post mortem Socratis Protagoram illud periculum subiisse, quod tamen secus est.

[3]) Diog. L. IX, 52: *καὶ τὰ βιβλία αὐτοῦ κατέκαυσαν ἐν τῇ ἀγορᾷ, ὑπὸ κήρυκα ἀναλεξάμενοι παρ' ἑκάστου τῶν κεκτημένων;* Cic. de nat. d. 1, 23: librique ejus in concione combusti; Minuc. Felix VIII, 3: Quum Abderitem Protagoram Athenienses — et expulerint suis finibus et in concione ejus scripta deusserint. Cf. Suid. v. *Πρωτ.* et Schol. ad Plat. de rep. p. 433 ed. Tauch. Primum hoc et unicum illis temporibus, quod sciam, librorum combustorum exemplum, nisi forte Platonis consilium quis huc referre velit, quo Democriti scripta, quoad ejus fieri posset, cremare conatus est. Est tamen hujus rei tantum unus testis isque sublestae fidei, Aristoxenus scilicet apud Diog. IX, 40. Quocirca haec narratio a viris doctis refutata est. Cf. Hermann. I. l. p. 283. n. 54. Apud Romanos quidem jam antiquis temporibus anus illa hospita atque incognita, ut cum Gellio 1, 19 loquar, coram Tarquinio sex libros exussit. Postmodo Val. Max. I, I, 12 testatum reliquit, sub Petillio praetore simile exemplum editum esse in Numae libris nuper repertis. Ait auctor ille: Graecos (sc. libros), quia aliqua ex parte ad solvendam religionem pertinere existimabantur, L. Petillius praetor Urbanus ex auctoritate senatus per Victimarios igne facto, in conspectu populi cremavit. Noluerunt enim prisci viri quidquam in hac asservari civitate, quo animi hominum a deorum cultu avocarentur. Percrebuit tamen hic mos sub dominatu. Sic legimus apud Tac. Ann. IV, 35: libros (sc. Cremutii Cordi) per aediles cremandos censuere patres, sed manserunt occultati et editi. Quo magis socordiam eorum irridere libet, qui praesenti potentia credunt exstingui posse etiam sequentis aevi memoriam. Nam contra punitis ingeniis gliscit auctoritas, neque aliud externi reges aut qui eadem saevitia usi sunt, nisi dedecus sibi atque illis gloriam pepe-

ad nos pervenerint reliquiae. Sed non dubito, quin falso ita statuant, propterea quod vix credibile est, omnia exemplaria librorum illorum, ut qui sine dubio jam per totam Graeciam circumlati essent, tum conjunctim igni esse deleta. — Jam si quis subtilius de Protagorae poena secum consideret, in recitatione illa certe proximam ansam accusationis sibi prehendere videatur, sed idem, Protagorae placitis, quae supra breviter attigi quaeque legibus institutisque civitatis Atheniensium mirifice adversarentur, paullisper perpensis et examinatis, veram et propriam causam in tota ratione et disciplina sophistae latere facile concesserit. Quocirca equidem miror, non quod Protagoras omnino condemnatus est, sed quod non jamdudum vel ad mortem ductus vel saltem Attica exterminatus erat. Sed causam ejus rei repetendam censeo partim ex summa Protagorae in docendo cautione, partim ex convictu illo et consuetudine cum nobilioribus, qui et cum philosophis de rebus gravissimis sensim consentire didicissent et ipsos, si necesse esset, ab injuria et vexatione suspiciosae multitudinis tutos praestare valerent. Eamque ob rem conjicio, ut ceterorum philosophorum, sic et Protagorae casum in ea potissimum tempora incidisse, quibus plebi de nova sapientia iterum suspicio mota esset quibusque simul domestica dissidia rempublicam conturbarent. Schoellius inde, ut jam supra memoravi, arbitratus est, Protagoram illa, quam Alcibiades, Diagoras aliique permulti experti sunt, comprehensum fuisse persecutione. Ingeniose exposuit vir doctus, in ejus gratiam ab Euripide scriptum Palamedem ad eundemque referendos esse versus illos Euripideos, qui plerumque ad Socratem spectare putantur [1]), id quod tamen fieri non potest, quum Palamedes XV annis ante

---

rere. Grave est et aliis locis Taciti de tali librorum deletione judicium, ut Ann. XIV, 58; Agric. 2: — ut monimenta clarissimorum ingeniorum in comitio ac foro urerentur. Scilicet illo igne vocem populi Romani et libertatem senatus et conscientiam generis humani aboleri arbitrabantur. De christianis, qui jam mature Ciceronis opera exuri vellent, exstat testimonium apud Arnob. adv. Gent. L. III. p. 103, 104. Sed addit ille auctor: Erroris convincite Ciceronem.....nam intercipere scripta et publicatam velle submergere lectionem, non est deum defendere, sed veritatis testificationem timere. Severissimum porro est imperatorum Theodosii et Valentiniani de haereticis eorumque libris rescriptum, quod legitur Just. Cod. I, I, 3. Gibbon hist. of the decline III, 388 laudat in rem nostram etiam Socrat. hist. eccl. I, 9.

1) Diog. L. II, 44: *Ἔκανετ' ἐκάνετε τὰν πάνσοφον*
Τὰν οὐδὲν ἀλγύνουσαν ἀηδόνα μουσᾶν.

Euripidem etiam in Ixione ad Protagorae mortem alludere, auctor est Philochorus apud Diog. IX, 55.

Socratis obitum data sit et ipse Euripides ante Socratem mortem occubuerit. At vero quum ratio temporum vix congruat, equidem aut Diagoram, qui et philosophus et poeta minime ignobilis fuit, aut alium quempiam, de quo nihil litteris consignatum est, illis versibus malim significari. Alii contra viri docti talem temporum notationem fecerunt [1]), ut Protagoras circa a. 410 in judicium vocatus et brevi post in mari errabundus undis submersus sit eaque sententia et aliunde et quadringentorum virorum et ὀλιγαρχῶν severitate et illiberalitate stabiliri possit, qua ut comoediae effusior licentia [2]), ita fortasse philosophis docendi libertas praecisa vel saltem imminuta est. Equidem in ratione temporum supra proposita, qua Protagoras primum circa a. 445 Athenas vidit, perstare malim et, quum sophista noster plurimis locis per quadraginta annos artem suam coluisse dicatur, aut annum 404, quo Athenae captae institutique sunt triginta viri, aut annum 403 eum ponere, quo Protagoras mortem obierit. Nam quod tyranni illi Socrati insidiati sunt et fortasse aliis quoque viris eruditis instituerunt dolumque nexuerunt, id in nostra quidem causa nihil propemodum puto referre. [3])

— Illos versus ad Socratem referendos esse, mirus error totius antiquitatis fuisse videtur, id quod ex Isocratis orationis, quae Βουσίριδος ἐγκώμιον inscripta est, cognoscitur argumento, ubi haecce leguntur: ἀμέλει λέγεταί τι τοιοῦτον, ὡς ὅτι Εὐριπίδου βουλομένου εἰπεῖν περὶ αὐτοῦ καὶ δεδιότος, ἀναπλάσασθαι Παλαμήδην, ἵνα διὰ τούτου σχοίη καιρὸν τοῦ αἰνίξασθαι εἰς τὸν Σωκράτη καὶ εἰς τοὺς Ἀθηναίους „ἐκάνετε, ἐκάνετε τῶν Ἑλλήνων τὸν ἄριστον" ὃ ἔστιν ἐφονεύσατε.

1) Cf. Hermann. l. l. p. 107. n. 86.

2) Cf. Roetscher. l. l. p. 67. n. Idem jam antea factum erat. A. 440 archonte Myrichido comoedia lege omnino prohibita esse traditur (cf. Clint. Fast. Hell. p. 59), quam legem tamen, postquam tres annos obtinuerat, abrogatam scimus. Porro Cleon, quia Aristophanes in Babyloniis, sociis praesentibus, multis male dixisset (Clint. Fast. Hell. p. 71.), legem pertulit, qua comici magnis Dionysiis, quibus peregrini spectaculis interessent, alios nominatim spectatorum risui exponere vetabantur. Et similis lex, auctore Syracosio, promulgata est a. 415, ut videtur, in hanc sententiam, ne quis comoediarum scriptor nomina eorum proferret, qui cum Alcibiade illa impietatis causa in jus ducti essent. Cf. Droysen. ad Aristoph. Av. v. 1297. Num triginta tyranni comoediam praeciderint, me fugit. De morte Socratis in argumento Isocratis Busiridis haecce exstant: ὅθεν λοιπὸν ἐκέλευσαν μηδένα δημοσίᾳ, οἷον ἐν κοινῷ θεάτρῳ, λέγειν περὶ Σωκράτους. Haecce fere de orationis ac libertatis illis temporibus imminutione apud scriptores memorata invenio.

3) Herbstius, qui in: Philologisch-historische Studien auf dem Academischen Gymnasium in Hamburg, heraus-

Atque his viris, quos Athenienses propter ipsorum placita impietatis crimine arcessiverunt, siquidem Suidae et Scholiastae Platonis fides habenda, aggregandus quoque est Prodicus, secundum Protagoram omnium sophistarum celeberrimus. Natus erat Prodicus in Ceo [1]) insula et secundum Eusebium circa 452 primum peregre profectus esse et pro civibus suis legationes suscepisse videtur. Nihil impedit, quominus aliquamdiu Protagorae, qui circa a. 445 Athenis versabatur, in disciplinam se dederit [2]), nam vix crediderim, solis Bacchylidis et Simonidis poematibus [3]) Prodicum doctum evasisse. Athenas legatus jam tum saepius venisse videtur, sed inde ab eo tempore ibi sedem suam fixisse, quo publica oratione et privatis declamationibus maximum plausum tulerat [4]). In Platonis quidem Protagora cum Protagora, Hippia aliisque viris eruditis et Prodicum apud Calliam divertisse videmus [5]), et Athenienses in sophistam nostrum minus suspiciosos fuisse quam in ceteros philosophos et sapientiae magistros, inde patet, quod Prodicus eo tempore, quo reliqui sapientiae doctores Atheniensium urbem reliquissent, sc. a. 427, si ex Eryxia conjecturam capere licet, Athenis commorari non destitit. Et si quis hoc testimonium rejicere velit, certe ex a. 424 Prodicus Athenas rediit ibique et grammaticas [6]), praecipue de verborum differentia atque usu [7]), et philosophas scholas aperuit. Quibus scholis

gegeben von Ch. Petersen, Hamburg 1832, non minus quam Geistius in Progr. Gissae edito 1827 de Protagora egit, ipsum anno 403 periisse statuit.

[1]) Suid. v. Προδ.: Πρόδικος, Κεῖος ἀπὸ Κέω τῆς νήσου, πόλεως δὲ Ἰουλίδος, φιλόσοφος φυσικὸς καὶ σοφιστής.

[2]) Suidas quidem ibidem ait: μαθητὴς Πρωταγόρου τοῦ Ἀβδηρίτου.

[3]) Verumtamen minime negaverim, ex his carminibus, in quibus Dionys. Halic. de vett. script. jud. II, 6 τὴν ἐκλογὴν τῶν ὀνομάτων laudat, Prodicum multum fructum percepisse. Omnino ejus sententiae et tota disciplina redolet Ceorum praecepta salubria et morum probitatem. Quae fuerit indoles popularium Prodici, uberius exposuit Welk. l. l. p. 20.

[4]) Plat. Hipp. maj. 282: λέγων τ' ἐν βουλῇ εὐδοκίμησε, καὶ ἰδίᾳ ἐπιδείξεις ποιούμενος.

[5]) Prot. 314 C. P. 315 D dicit Plato: ὁ μὲν οὖν Πρόδικος ἔτι κατέκειτο, ἐγκεκαλυμμένος ἐν κῳδίοις τισὶ καὶ στρώμασι καὶ μάλα πολλοῖς. Quo loco male intellecto, Philostratus et Scholiast. ad Arist. Nub. v. 362 putat, Prodicum voluptatibus deditum fuisse, quum sophista potius magna infirmitate et imbecillitate corporis laboraret, quae diligentiorem curam requireret.

[6]) Ad grammaticam spectabat illa πεντηκοντάδραχμος ἐπίδειξις, Plat. Cratyl. 384 B.

[7]) Hoc nomine Prodicum optime de litterarum progressibus meritum et multos alios inde plurimum profecisse, ut Socratem, Euripidem, Thucydidem (Marcell. p. VIII ed. Dind.: ἐζήλωσε δὲ — καὶ Προδίκου

quam notabilis fuerit, ex comoediis illorum annorum discimus. Memoratur ab Aristophane in Nubibus [1]), in Tagenistis [2]), in Avibus (a. 414) [3]), fortasse etiam in Pace (a. 421) [4]), ab Eupolide in Adulatoribus (a. 422), et sine dubio ex Welkeri disquisitione a Leucone in Legatis (422). Idemque vir doctus exposuit [5]), Euripidem quum alias tum in Suplicibus (a. 420), Sophoclem in Oedipode Coloneo (a. 420) [6]) Prodici placita expressisse. Verisimillimum adeo est, Prodicum ex a. 424 usque ad 415 Athenis versatum professumque esse sapientiam suam. Clarissimi discipuli ejus fuerunt Socrates [7]), qui et aliis Prodici institutionem commendabat, Euripides [8]), Theramenes [9]), Isocrates [10]), Damon [11]), Thucydides [12]), Critias [13]). Xenophon Thebis sophistam nostrum ex Philostrati [14]) testimonio audiit et Antisthenes denique conjunctissime omnium et amantissime cum ipso vixisse perhibetur [15]).

τοῦ Κείου τὴν ἐπὶ τοῖς ὀνόμασιν ἀκριβολογίαν), non est, quod post Welkerum Prodicos in Ceos, Vorgänger des Socrates in Mus. Rh. T. I. et C. F. Hermann. l. l. uberius exponam.

1) V. 359: οὐ γὰρ ἂν ἄλλῳ γ' ὑπακούσαιμεν τῶν νῦν μετεωροσοφιστῶν
πλὴν ἢ Προδίκῳ· τῷ μὲν, σοφίας καὶ γνώμης ἕνεκα.

Scholiastes ad h. l. putat Prodicum castigari, sed aliter sentit Welkerus l. l. p. 12.

2) τοῦτον τὸν ἄνδρ' ἢ βιβλίον διέφθορεν,
ἢ Πρόδικος, ἢ τῶν ἀσολεσχῶν εἷς γέ τις.

3) V. 690: ἵνα ἀκούσαντες πάντα παρ' ἡμῶν ὀρθῶς περὶ τῶν μετεώρων,
φύσιν οἰωνῶν, γένεσίν τε θεῶν, ποταμῶν τ,' Ἐρέβους τε, Χάους τε
εἰδότες ὀρθῶς, Προδίκῳ παρ' ἐμοῦ κλάειν εἴπητε τολοιπόν.

4) V. 812.

5) L. l. p. 622.

6) V. 1211 — 38.

7) Prot. p. 341 A. Sed cave talem institutionem intelligas, qualem nos plerumque intelligere consuevimus. Socrates Prodici sapientiam probavit, nonnullas scholas frequentavit sophistae nostri (cf. Axioch.), saepius cum ipso sermones contulit indeque profecit, nihil amplius.

8) Suid. v. Εὐρ.; Gell. XV, 20.

9) Schol. ad Av. Nub. v. 360; Suid. v. Θηρ.

10) Suid. v. Ἰσοκ.

11) Plat. Lach. 197 D.

12) Welk. l. l. p. 569.

13) Ib.

14) VV. Soph. p. 496.

15) Welk. l. l. p. 12.

Post a. 415 vero alias urbes circumiisse putandus est [1]) et tum fortasse fuit, quum Thebis inprimis ac Lacedaemone et aliis declamationibus et fabula illa de Hercule maximam famae celebritatem consecutus simulque innumeram pecuniam lucratus [2]) est. Rediit tamen, si revera colloquium illud, quod in Axiocho litteris mandatum, a. 406 habitum est, Athenas, nam in Axiocho [3]) Socrates dicit: *καὶ πρώην γοῦν παρὰ Καλλίᾳ τῷ Ἱππονίκου ποιούμενος* (sc. Prodicus) *ἐπίδειξιν κ. τ. λ.* De subsequentibus annis vero nihil testatum reliquerunt scriptores, quanquam ex Platonis Apologia [4]) intelligitur, Prodicum Socrati superstitem fuisse. Nec plura constant de morte, qua Prodicus a Suida et Scholiaste Platonis Athenis ob juventutis corruptionem multatus esse dicitur. Scholiastes [5]) quidem ita hanc rem memoravit: *τελευτᾷ κώνειον πιὼν ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων, ὡς τοὺς νεοὺς διαφθείρων*, quae verba Suidae testimonio confirmantur, qui ait: *ἐν Ἀθήναις κώνειον πιὼν ἀπέθανεν, ὡς διαφθείρων νέους.* Quamvis jam Welkerus [6]) opinatus sit, Prodicum aut cum alio quopiam, qui cicutam hauserit, commutatum esse aut certe non Atheniensium jussu, sed sua sponte ea, qua Cei indeque Massilienses mortem maturare consuessent, ratione usum esse [7]), tamen illis scriptoribus, quorum neuter alterum exscripsisse videtur, non ita refragari ausim, ut ipsorum testimonia prorsus nihili faciam, quum praesertim Cicero [8]) et Sextus Empiricus [9]) Prodicum omnem religionem sustulisse affirment. Haecce

1) Apol. p. 19 E.

2) Axioch. p. 365 B; Philost. p. 496: *χρημάτων τε γὰρ ἥττων ἐτύγχανε.*

3) L. l. Hermannus vero l. l. p. 48 ita disserit: so daß wir es also selbst noch dahin gestellt sein lassen müssen, ob Plato einen Prodicus oder Hippias anders als aus den Erinnerungen seiner Kindheit oder aus Hörensagen kannte.

4) P. 19 E: — *ὥσπερ Γοργίας τε ὁ Λεοντῖνος, καὶ Πρόδικος ὁ Κεῖος, καὶ Ἱππίας δὲ ὁ Ἠλεῖος. τούτων γὰρ ἕκαστος — οἷος τ᾽ ἐστὶν κ. τ. λ.* Hanc ob causam, si temporis ratio habeatur, prius de Socratis nece explicandum fuit, sed propter similitudinem, quae Prodicum inter et Protagoram intercedit, jam hoc loco de sophista Ceo malui disputare.

5) Ad Plat. rep. p. 434 ed. Tauch.

6) L. l. p. 616. De Massiliensium morte voluntaria cf. Val. Max. II, 6, 7, de Ceorum Ael. V. H. III, 37.

7) L. l. p. 614.

8) De nat. deor. I, 42: Quid Prodicus Ceus, qui ea, quae prodessent hominum vitae, deorum in numero habita esse dixit, quam tandem religionem reliquit?

9) P. 311: *Πρόδικος δὲ ὁ Χῖος* (leg. *Κεῖος*) *Ἥλιον, φησὶ, καὶ Σελήνην καὶ κρήνας καὶ καθόλου πάντα τὰ ὠφελοῦντα τὸν βίον ἡμῶν οἱ παλαιοὶ θεοὺς ἐνόμισαν, διὰ τὴν ἀπ᾽ αὐτῶν ὠφελείαν.* Cf. p. 317 et Minuc. Felix Oct. c. XXI.

quidem falsa sunt, quum Prodicus non solum unum deum credidisse videatur, verum etiam animorum immortalitatem docuerit et praeterea talem doctrinam de moribus in medium protulerit, quae et puritate et severitate sua insignis esset [1]), sed nihilo minus loci excitati in rem nostram testimonium exhibent. Etenim declarant, sophistam nostrum deos populares Atheniensium sprevisse, quod judicium si Athenis innotuit, nemo ipsum ab interitu vindicare potuit. Sed etiamsi Athenienses Prodici de diis avitis opiniones vel ignoraverint vel non respexerint, contra id solum in ipso reprehenderint, quod, ut Suidas et Scholiastes memoriae prodiderunt, juventutem depravaret ac perderet, etiam hoc crimen jam sufficiebat, ut impietatis argueretur et morte hoc facinus lueret. Baelius [2]) quidem suspicatur, Prodicum venenum hausisse ob laesam religionem nec dubitarunt Suvernius [3]), Geelius [4]), Meierus [5]), quin certe de sophista Ceo ab Atheniensibus sumtum sit supplicium. Ipse Welkerus, si recordatus esset, quam suspicaces fuerint Athenienses de sophistarum arte et philosophorum doctrinis, si recordatus esset, quot et quales viros propter ea decreta, quae civitatis institutis adversari moresque civium pessumdare viderentur, in jus duxerint, quam parati fuerint, nisi graviores poenas decernerent, illos sapientiae magistros certe urbe exterminare [6]), non prosus, ut opinor, Suidae et Scholiastis Platonis, quae supra produxi, rejecisset testimonia. Nec quemquam conturbet, quod Plato nusquam hujus damnationis mentionem fecit, nam Plato ne scriptum quidem reliquit, quae

---

[1]) Prodicus (cf. Plat: rep. X, 600 C) jure nuncupatur ἀρεταλίγος, quia primus praeclaras sententias videtur effatus esse. Sic docuit, divitias bonum non esse (cf. Eryx. 13, 17, 19), ex agricultura deorum quoque cultum pendere (Themist. XXX, 349), quam sententiam Cicero et Sextus Empiricus perperam interpretati sunt, hujus vitae conditionem esse miserrimam omnemque spem nostram in vita post mortem futura reponendam (cf. Axioch. 17).

[2]) V. Prod.

[3]) De Nubib. p. 89.

[4]) Historia critica Sophistarum, qui Socratis aetate Athenis floruerunt p. 149.

[5]) In Ersch. et Grub. Encycl. v. Diagoras p. 447 n. 7.

[6]) Hoc jam ex Platonis Gorgia p. 456 E et p. 460 D effici posse videtur. Fortasse etiam Critiae exilium a. 406, qui Socratem audivit, qui cum Euripide tragoedias scripsit et in atheorum numero habitus est, ut ex Sext. Emp. p. 562 ibiq. Fabric. discimus, cum impietatis criminatione aliquatenus cohaeret. Mirum quoque est, quod eodem tempore Euripides patriam reliquit extremamque vitae partem apud Archelaum regem transegit. Sophistarum quidem Polycrates, ut Isocrates affirmat, sub illud tempus injuste Athenis ejectus est. Cf. Welker. l. l. p. 571. n.

mala Anaxagoras, Diogenes Apolloniates, Protagoras [1]) multique alii ante Prodicum ab Atheniensibus habuerint. Quas res qua de causa summus philosophus silentio praetermiserit, tum pluribus exponam, quum disputationem, quae hic intercidenda est, persequi licuerit. Sic ne Platonis quidem silentium contra illa testimonia in medium proferri potest.

Jam si ex iis, quae hucusque disputata sunt, summam colligamus, cui in mentem venire possit, quae Socrates ad Polum in Platonis Gorgia [2]) dicit: — *εἰ Ἀθήναζε ἀφικόμενος, οὗ τῆς Ἑλλάδος πλείστη ἐστὶν ἐξουσία τοῦ λέγειν κ. τ. λ.*, ea falso dicta esse a viro sapientissimo, contra verissima esse haecce Eutyphronis in dialogo cognomini ad Socratem [3]) verba: — *εὐδιάβολα τὰ τοιαῦτα* (sc. *τὰ θεῖα*) *πρὸς τοὺς πολλούς*. Vidimus enim in superiore disputatione, non solum optimum quemque philosophorum, ut Anaxagoram, Diogenem Apolloniatem, Diagoram, alios, verum etiam principes omnium sophistarum, Protagoram, Prodicum, Gorgiam, partim incommoda ab Atheniensibus cepissē, partim in extremum discrimen devenisse. Et quo major quidem cura ac dilgientia fuerat, quam vel hi sophistae vel alii ad studia philosophica contulissent, eo minus ipsorum doctrinam comprobabant et admittebant, eo periculosiorem illorum hominum vitam ac rationem civitati esse Athenienses rebantur. Idcirco Gorgiae, quippe qui, Eleaticorum disciplina missa, se totum, ex quo Athenas se contulerat, rhetoricae dedisset, tantummodo denuntiatum est periculum, Protagoras vero et Prodicus, qui sophisticen factitarent eoque ipso, praeterquam quod ab initio ad philosophiam animum adjunxerant, proxime a philosophis abessent, Athenis in ultima supplicia deducti sunt [4]). Quin etiam si ceteras impietatis causas hic

---

1) Leviter casum hujus sophistae undis submersi tangit Theaet. p. 171 D.

2) P. 461 E.

3) Plat. Eutyph. p. 3 B.

4) Protagoram a Democrito in disciplinam receptum fuisse, jam supra monui. De ipsius placitis egit Plato in Theaeteto. Protagoram de natura et disseruisse et scripsisse, affirmat etiam Cic. de Orat. 3, 32. Apud Eupolidem *ἐν Κόλαξι* fr. 2 Protagoras *ἀλαζονεύεται μὲν ἀλιτήριος περὶ τῶν μετεώρων* et ad hunc sophistam praeterea plurima in Aristophanis Nubibus referenda esse, jam saepius docui. Nec minus Prodicus dicitur *σοφιστὴς μετεωρολόγος* a Scholiaste ad Ar. Nub. v. 360, *φυσικὸς φιλόσοφος* a Schol. Plat. de rep. p. 434 ed. Tauch. Etiamsi quis, Platonis in Protagora disputatione fretus, negare velit, Prodicum Protagorae se in disciplinam dedisse, tamen ex ipsis sophistae Cei de uno deo, de animorum immortalitate decretis haud dubitanter colligitur, Prodicum a studiis philosophicis minime abhorruisse. Cicerone auctore l. l. aeque ac Protagoras de natura scripsit. Et si Hippias diutius Athenis commorari voluisset, non dubium est, quin ille non minus quam

mente repetamus et in uno quasi conspectu ponamus, quod viros illos in periculum adduxit, nihil aliud fuit nisi lux doctrinae, quam homines refugere consueverunt, et metus rerum novarum, quas ex immutato deorum cultu consequi tum Atheniensibus persuasissimum erat. Quanquam igitur restat, ut altera hujus disputationis parte reliqua persecutionis exempla recenseantur, tamen jam hic intelligitur, sicut aliis temporibus, quibus pro perversis et obsoletis opinionibus vel institutis meliora in vitam introducerentur, sic et inter Athenienses tum magnam fuisse antiqui et novitii temporis contentionem, magnam hominum vel pro priscis vel pro novis institutis dimicationem et quasi luctationem [1]), simulque intelligitur, neminem in hac et temporum et hominum contentione ac conflictione majora incommoda sustinuisse quam eos, qui superstitiones et opiniones praejudicatas impugnarent idque agerent, ut ignorantiae quidem tenebrae discuterentur, lux contra veritatis magis magisque in dies effulgeret.

Protagoras et Prodicus de capite suo periclitatus esset, disserit enim apud Plat. Prot. p. 315 C περὶ φύσεώς τε καὶ τῶν μετεώρων ἀστρονομικὰ ἄττα. Cf. Cic. Acad. 1, 4. Etiam Gorgias olim Empedoclis discipulus fuerat eumque ex Eleaticorum quoque argutiis et captiunculis plurimum profecisse, et liber ejus περὶ τοῦ μὴ ὄντος ἢ περὶ φύσεως (Sext. Emp. p. 383 ed. Fab.) indicat et ipsa rhetorice, quam posthac docuit, etsi virtutis magistratum se non professus est (Men. p. 95 C.) Olympiodorus idcirco judicat, Gorgiam sophistam fuisse, sed quia hae duae artes crebro inter se permutentur, de qua re et Plato (Gorg. p. 465 C, cf. tamen p. 520 A) queritur, factum esse, ut Gorgias se rhetorem fecerit. Scholiastes ad Plat. Gorg. 465 C ita verba facit: σύγχυσις γὰρ γίγνεται σοφιστικῆς καὶ ῥητορικῆς· οὕτω γοῦν καὶ ὁ Γοργίας, σοφιστὴς ὤν, ἑαυτὸν ῥήτορα ἐποίει. Quid quod Schol. ad l. l. p. 465 D ipsum Polum philosophorum sectatorem facit, dicens: Ἀναξαγόρειος γὰρ ἦν τῇ προαιρέσει ὁ Πῶλος, καθάπερ ὁ Γοργίας Ἐμπεδόκλειος. Sic illis temporibus sophistice et rhetorice ita inter se cognatae erant, ut haec a priore firmamenta ac praesidia sua mutuaretur. Posteriore aetate contra factum est, sophistae enim meri dicendi magistri sunt desudantque, sapientiae laude, qua priores, Protagoras, Prodicus, Gorgias, floruerunt, neglecta, in solis orationis artificiis et praestigiis. Ex qua ipsa re factum est, ut sophistae consequentis aetatis a Platone, Xenophonte (de venat. c. 13), Isocrate, Aristotele pessime audiant, contra Atheniensium civitati ipsorum disciplina minus noxia et periculosa esse videretur.

[1]) Prudentissime de utrisque factionibus et ita ut rem aequa lance pensitet, judicat Welkerus in Mus. Rh. T. I. p. 640.

